

SPECIMEN SOLENNE PHYSICO - MEDICUM

De

SALUBRITATE  
HASSIÆ,

QVOD

IN REGIA FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO REGIÆ DOMUS PRINCIPE  
AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO  
BORVSSIAE PRINCIPE,  
CETERA.

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

PRO GRADU DOCTORIS

IN ARTE SALUBRI RITE OBTINENDO

*Ad d. 29. Martii cl<sup>o</sup> 1771.*

IN AUDITORIO MAJORI

horis ante- & pomeridianis

Æquiori Eruditorum Censuræ pro Cathedra  
exponet

JOHANNES JUSTUS GRAVIUS,  
Hassus.

HALÆ MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANN. GRVNERI, ACAD. TYPOGR.

**VIRIS,**

**MAXIME REVERENDO ATQUE AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
EXPERIENTISSIMIS,**

**DOMINO**

**WILHELMO FRIDERICO  
SCHARDIO,**

**S. R. M. BORUSSICÆ IN DUCATU MAGDEBUR-  
GICO CONSILIARIO ECCLESIASTICO ATQUE CON-  
CIONATORI AULICO HALÆ PRIMARIO,**

**DOMINO**

**D. FRIEDERICO  
HOFFMANNO,**

**CONSILIARIO AC ARCHIATRO REGIO ME-  
DICINÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORI IN REGIA  
FRIDERICIANA LONGE CELEBERRIMO.**

**DOMINO**

**D. JOHANNI DOLÆO,**

**SERENISSIMI PRINCIPIS CAROLI, HASSIÆ  
LANDGRAVII, AULÆ PRIMARIO MEDICO  
ET CONSILIARIO.**

**DOMINIS MÆCENATIBUS, PATRONIS, PRÆ-  
CEPTORI ATQUE STUDIORUM MEORUM PRO-  
MOTORIBUS ÆTATEM VENERANDIS.**



# VIRIS AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS

FELICITATEM!

**P**udentissimum Philosophorum saniorum  
effatum est, *Mecenates, Praeceptores, studiorum-  
que Promotores parentum loco habendos atque ve-  
nerandos esse*; idque tanto magis, quanto  
promptius humanitate benevola, consiliis, subsidiis,  
fidei perspicuitate, nec non profunda soliditate,  
iidem nobis subvenerunt. Quæ quidem beneficio-  
rum & patrocinii agnitio rarior hoc seculo facta est,  
exemplis gratæ mentis uno, ingratae centum pro-  
stantibus. Quod ipsum sane perverso isthoc ævo vix  
aliter evenire potest, quoniam Eruditorum (quod  
mireris,) plurimi virtutis stimulos, nescio qua per-  
versa oblivione aut quo fastidio cum deplorando sæ-  
pius sui detrimento, plebejorum hominum instar,  
supprimunt, ut ipsis, quantum virtutem & vitium  
discriminis intersit, non satis sit perspectum. Ne igi-  
tur hac in parte vitiorum vulgi reus judicer, VOBIS,  
TRI-

TRIGA VIRORUM SPECTATISSIMORUM, quicquid hoc est pagellarum, sine adulatione in grati animi tesseram offero. Certe patrocini candore ac benevolentia insigni suffultus NOMINA VESTRA specimini huic inaugurali præponere non erubui, quæ alias per auctoritatem & excellentiam digniora longe postulant ac merentur. Largimini, quæso, quippiam audaciæ meæ, arripite hunc debitæ observantiæ indicem chartaceum benevolis manibus, & me, clientem VESTRUM, gratiose protegite, solitoque favoris affectu ulterius prosequimini: hoc quippe pacto votorum meorum summam me consecutum esse gloriabor. De cetero VOBIS VIRI SANCTITATE SAPIENTIA ET PRUDENTIA CLARISSIMI, PATRONI EMINENTISSIMI, fortunatissima quæque ab Indulgentissimo universarum rerum satore DEO toto pectore apprecor. Dabam Halæ VII. Calend. Aprilis MDCCVI.

AMPLISSIMORUM VESTRORUM  
NOMINUM

*Cultor Devotissimus*

Johannes Justus Gravius.



## PROOEMIUM.



Unmi nostræ naturæ condimenti,  
*sanitatis integra*, proximam cau-  
 sam jure statues (1) Humores in-  
 justa crasi constitutos; (2) Prin-  
 cipium vitale movens five id ma-  
 teriale, five immateriale statua-  
 tur, & (3) Legitimam cujusvis  
 partis solidæ structuram tonum  
 ac proportionem. Sustinent hanc sex *Res non natura-*  
*les* ita ab autoribus dictæ, quod ad naturam individui  
 humani constituendam proxime quidem non con-  
 currant, sine his tamen illud vitam & sanitatem tra-  
 here nequeat. Sunt illæ ex communi sententia *Aer*  
*(s. potius atmosphaera)* *Cibus, Potus, Motus, Quies, Somnus*  
*Vigilia, Excreta Retenta, Animi pathemata*; quibus tan-  
 quam cognata connumerari solent *vivendi genus, Cli-*  
*ma, Situs Regionum & locorum, balnea, vestimenta, aliaque res*

externæ. Ex his omnibus eminentior profecto sanitatis causa *situs Regionum salubris* est, quem una præ altera meliorem obtinuit, hominibus robustioribus, sanioribus & longævioribus hujus vel illius loci regionisve præ aliis id abunde probantibus; non obstante, quod & in insalubrioribus longævi quidam reperiantur, quale quid ex consuetudine potius & rarius contingit; accedit, hos ipsos ut plurimum ægram vitam trahere. Salubriorem autem provinciam alteram altera existere, vel exinde sufficienter demonstratur, quod Medicis solenne est, transmittere ægros, morbis chronicis diuturnioribus, v. g. Phthisi, Scorbuto, cacochymia quacunque (vid. *Hippocr. Epid. VI. S. 5. S. 2.*) affectos, in alia loca, ex quibus (nisi forte morbus altissimas radices egerit,) si non penitus sanitati pristinæ restituti, saniores tamen, quam fuerunt, redeunt. Prostat de Peregrinatione sanitatis causa instituenda *dissert. egregia Excell. Hoffmanni, Patroni Promotoris atque Manu ductoris mei in arte salubri fidelissimi*, quam evoluisse non pœnitebit. Noli ergo mirari, L. B., me, (HASSIÆ Patriæ meæ dulcissimæ, uti spero, incolam medicum aliquando futurum,) de ejus *salubritate* adeo sollicitum esse. Indidit huic labori suscipiendo præceptum *Hippocratis medicorum Patris tract. de aere, aquis & locis*, stimulum haud levem; verba ejus e versione *Lindemiana* p. m. 327. 328. huc transferre non piget. *Quicumque* (inquit) *artem medicam integre assequi velit, primum quidem temporum annirationem habere debet & c. deinde ventorum calidorumque & frigidorum, maxime, qui ex his omnibus hominibus sunt communes, & mox, qui in una quaque regione sunt indigenæ & proprii. Neque vero negligentiosem se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere convenit: & c. Quare si quis*

si quis ad urbem sibi incognitam perveniat, circumspicere oportet ejus situm, quo modo scilicet ad ventos & solis exortus jaceat; &c. Hec itaque diligenter oportet perscrutari ac simul quomodo habeant circa eam aquæ &c. Terra etiam ipsa consideranda &c. Ex his enim singula sunt investiganda. Nam, qui hæc omnia probe, quantum fieri potest, cognoverit, aut horum plurima eum non latere possunt, quum in urbem etiam ignotam sibi pervenerit, neque morbi regioni peculiare & patrii, neque communis regionis natura, quacunque tandem ea fuerit, ut non possit in cognoscendis morbis dubius hæere aut errare, sicubi ad morborum medicationem adhibeatur. Quæ ambobus illis evenire solent, qui non prius providi hæc diligenter cognoverunt &c. Eousque igitur præceptum istud Hippocraticum exsequar, ut in HASSIÆ, præprimis ejusdem atmospheræ salubritatem istiusque causas in hac ipsa dissertatione mea inaugurali jam inquiram, evidentiusque demonstrarem, quantum emolumenti ex hac in incolas istius regionis redundet: certissimum namque est, pauciores hominum illic degentium numerum atmospheræ injuria ægre habere vel interire; maximam vero eorundem partem ex perversa diætâ rerumque non naturalium usu illegitimo ac noxio perniciem morbosam contrahere, vitæque filum sibi abbreviare: sunt enim & illic otio dediti, affectibus animi nimium indulgentes, bibuli, lurcones, ciborumque ac poculorum, veneris item, plus appetentes, quam natura tolerare valet. Eo tamen dementiæ non procedo, ut Hassiæ salubritatem simpliciter talem dixerim, ratione cujus morbis & morti leges positæ sint; habet Hassia nostra morbos suos vernaculos & epidemicos quandoque etiam, siquidem ibi quoque tempora & astra mutantur ac annorum constitutiones inordinatæ &

præter naturales fiunt, est hyems aliquando tepida nimis & humida, æstas justo calidior & ficcior, &c. ut vel propterea homines ibidem subinde ægrotare, & in ipsa etiam florida ætate aliquos vitam cum morte commutare necessum sit. Quicquid ergo in *specimine præsentis* prolatum: intuitu aliarum regionum insalubriorum & quæ deterioris conditionis sunt, (atque ita *comparative*,) intellectum volo. De tractationis methodo multa præfari supervacaneum duxi, absolvitur enim tota *disputatio* paucis plagulis exiguum perlectionis tempus requirentibus. Præmissi quidem & commiscui singulis capitibus *generalia* quædam Medico-Phyfico-Mathematica: sed quæ ad thematis hujus planiorem & pleniorum enodationem non incongrua, quin potius convenientissima judicavi: quorum ipsorum etiam perlustrationi vacare lectorem, *conterraneum* præprimis, non pigebit. Esto itaque sub Divini Numinis auxilio.

## CAPUT I.

De

### SALUBRITATIS NATURA ET ESSENTIA.

§. I.

**S**alubre & salubritatem à salute (Germ. Heil/gesundheit) proficisci ipsa vocis natura indicat; qui *salubris* & *salubritatis* terminus in genere pro quolibet *bono* & *utili* (etiam in *civilibus*) usurpatur: hoc sensu *Homerus* alicubi:

*Vir Medicus multis aliis tibi dignior esto: &c.*

*Multa salubria miscens,*



Item *Livius* 3. cap. 62. *Et trahi bellum salubriter & mature perfici potest.* Specialiter autem & proprie magis de rebus sanitatem concernentibus saltem dicitur, sub diversimoda quamvis ejus acceptione & significatione: quatenus (1) applicatur ad ea, quæ possunt sanari, sive salutis seu futuræ sanitatis spem præbent: ita *Livius* L. 1. C. 10. *Sopitum fuisse Regem (inquit,) subito ictu ferrum haud alte in corpus descendisse, jam ad se redisse. Inspectum vulnus absterso cruore. Omnia salubria esse.* Item L. 3. ab urb. *Graviore tempore anni circumactò defuncta morbis corpora salubriora esse cœperunt.* *Cicero de senect.* hæc habet verba: *Ubi enim potest illa ætas aut æque calefcere, vel apricatione melius, vel igni, aut vicissim umbris aquisque refrigerari salubrius?* (2) Extenditur ad hæc, quæ sana sunt, ac habitu athletico & bono gaudent atque sanitatem ipsam: Sic *Tacitus Hist.* L. V. C. 6. *Salubria corpora, h. e. sana, & Sallustius in descriptione Africæ: Genus hominum salubri corpore,* pronunciant; præterea *Auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ* C. 41. ita scribit; *Minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus, quæ firmissima valetudine & saluberrimis corporibus utuntur.* Quid, quod ipse *Galenus* L. de *Medic. Art. Constit.* C. XI. *Salubria corpora valetudinariis* contradistinguat, & *habitus salubris* L. ad *Thrasibulum* C. XXXIV. mentionem faciat. *Ipsè tantum itinerum faciebat, quantum satis esse ad mutationem locorum propter salubritatem (sanitatem) existimabat;* scribit *Cæsar. bell. Gall.* L. VIII. (3) Accommodatur rebus sic dictis non naturalibus omnibus, tum materialibus tum immaterialibus, easdem res (causas) salubres indigitando, imo toti *medicinæ conservatrici*, quam *ὕγιενήν* dicunt, potissimum autem *parti ejus gymnasticæ* leu *exercitatorix, artis salubris* (item *salutaris*) nomine insignitæ: unde & *medicina Herophilo scientia salubrium insalubrium & neutrorum* salutatur; *salubrium* quidem, quod ista humani corporis constitutionem ita præparant, ut ex iis pulchrè invicem aptatis sanitas concilietur, &c. sicuti hæc omnia fusius legi poterunt apud *Galenum* L. *introd. s. Medicus* C. VI. & VIII. Item L. *Num ars tuende sanitatis ad artem medicinalem spectet à Cap. XXX. usque XXXVI.* (4) Denique & quidem propriissime attribuitur seu adaptatur secundum *Vallam* rebus sanitatem præbentibus ac juvenilibus materialibus per naturam productis, cælo puta & stellis, aeri, locis, aquis, fluviis, cibis, herbis &c. quæ res singulæ à celebrioribus autoribus

idoneo termino *salubres* nominantur : sicuti reliquæ omnes, arte, ingenio aut alio modo parabiles *salutares* vocantur; probe ita discernente *Cornel. Frontone de different. vocabulor.* Ita *Plinius H. N. L. XXXVII. C. 13.* *Jam situ ac salubritate cœli atque temperie &c.* Item *Columella L. II. C. 4.* *Fundum, sicuti ne fœcundissimi quidem soli, quum sit insalubris, ita nec effecti, si vel saluberrimus sit, parandum.* *Aquæ salubres extant apud Horat. in Carm. secul. Fluvius saluber apud Virgil. I. Georg. aura salubris apud Ovid. & Chelidonium visui saluberrimam hibrundines monstrasse modo memoratus Plinius L. VIII. C. 27.* protulit.

§. II. Sub hac postrema significatione propriissima *salubre & salubritas* à medicis & phycis nostrorum etiam temporum consideratur. Dico autem proprie *salubre* illud, quod non lædit vel imminuit actiones corporis s. n. sed potius eas constituit, perficit atque exaltat; tale autem est illud, quod causam harum actionum, intelligo naturam nostram, auget, conservat atque erigit; per naturam autem hic maxime intelligitur *Circulus sanguinis & œconomia omnium motuum corporis organici, quæ si recte sese habet, est sanitas præsens, & hoc, quod ipsam conservat, sanum ac salubre dicendum.* Deinde cum *sanitas* in humorum fluxilitate, debitoque illorum circulo, partium solidarum robore emunctoriis apertis, excretionibus legitimis, conquiescat, hinc omne illud, quod humores stuxiles servat, quod excretiones promovet, vias patulas reddit, necessario *salubre* esse debet. Qui sanitatis effectus omnes cum ex *atmosphæra Hassiaca* in incolarum corpora redundent; aptissime titulum *salubritatis* dissertationi meæ præfixum puto.

## CAP. II.

De

### SITU REGIONIS HASSIACÆ VERSUS COELI PLAGAS EJUSQUE CLIMATE SALUBRI.

§. I.

**A**D Regionum salubritatem non minimum confert benignior harum situs, sereniorque cœli ac siderum versus easdem positus afflatus & contactus; qui si cum aliis solo puta, hujusque efflu-

effluviis, ventis, alimentis, reliquisque vitæ humanæ conducibilibus, concordet, sedem sanitati & longævitati cōformem fore, nemo nisi mente inops inficiabitur.

§. II. Unicum quidem cœlum orbem nostrum undiquaque ambit, non ubivis tamen & semper eadem illius facies, atque conditio, sed pro diversitate loci, cursus, motus, altitudinis & conjunctionis astrorum diversa admodum est. Ea propter (*utor verbis Dicelii in Pæd. Geogr. gen. p. 8.*) *adminiculo circularum (cœlestium) locus nostrarum actionum, ubi nos habitamus homines, in varias Zonas, Climata, Parallelos, imo in multas varias Regiones, Provincias, Ducatus particulares, & Imperia sexcenta alia distingui atque describi solet. Et cum apparentiæ quæcunque cœlestes ad nos referantur, qui secundum variam Cœlestis Sphæræ posituram in diversis terræ locis habitamus; tanta dierum & noctium varietas accidit, tantaque in ortu & occasu siderum differentia & quæ id genus plura sunt alia.*

§. III. Perquisitio itaque positus cœli in describenda locorum & regionum proprietate summe est necessaria, maxime, cum nullum amplius sit dubium, omnisque dies doceat, motum corporum cœlestium, (solis præprimis & Lunæ, reliquorum etiam Planetarum), pro diverso eorum positu varium, varios quoque, interveniente æthere, causari motus in locis nostris inferioribus, unde temperaturæ regionum hominumque adeo discrepantes exsurgunt. Quadrat huc elegantissimus *Strabonis* locus, quem habet *L. I. Geogr.* è versione *Xylandri* ita sonans: *Quicumque locorum proprietates aggreditur, proprie eo accommodat expositionem cœlestium rerum, Geometricarum delineationum, magnitudinum & intervallorum ac inclinationum, calorum, frigorum, denique constitutionis ac nature aeris. Quando & domum adificaturus faber hæc ante prospiciat, & urbem condens architectus: nedum totum terrarum orbem animo concipiens vir: nam multo magis huic ea conveniunt: nam in exiguis spatiis non magnam parit diversitatem versus Septentrionem aut Meridiem inclinatio. In universo terre habitabilis circulo versus Septentrionem sunt usque ad extremas Scythiæ vel Celticæ versus Meridiem inclinant usque ad ultimos Ethiopes: in hoc permultum est discriminis; itemque plurimum interest, apud Indosne habitetur, an apud Hispanos: quorum alteros maxime Orientales, maxime Occidentales alteros, ac quodammodo hos illorum*

anti-

*antipodas esse scimus. Quae hujus sunt generis omnia, cum Solis Astro-  
rumque reliquorum conversionem, nec non motum versus centrum prin-  
cipii loco habeant, suspicere nos ad caelum jubent, & ad ea, quae in caelo  
unicuique nostrum apparent, in quibus sane magna admodum pro di-  
versitate habitationum conspiciuntur discrimina. Quis ergo diffe-  
rentias locorum recte & sufficienter docere atque explicare possit, horum  
omnium ne parumper quidem habita ratione? haecenus Strabo.*

§. IV. Hic tamen simul observandum astrorum dictorum mo-  
tum & exinde profluentes effectus, multum per *corpuscula sublunaria*  
seu atmosphaerica limitari, ita quidem, ut idem saepe positus astrorum in  
confitis vel iisdem etiam regionibus nihilominus *diversitatem con-*  
*stitutionis atmosphaerae* pariat, rectissime ita monente Sennerto *Instit.*  
*Med. L. IV. P. I. C. 2.* cujus verba sic habent: *Varias autem ob causas*  
*constitutio aeris variatur, neque ubique ac semper eadem est. Primo*  
*aeris constitutio pendet à locorum situ & natura. Ad locorum situm*  
*autem pertinet primo situs versus caeli plagas. Aliae enim regiones aliis*  
*calidiores aliis frigidiores sunt, prout magis vel minus à circulo equi-*  
*noctiali vel tropico cancri apud nos remotiores sunt, majoremque vel*  
*minorem ut appellant, latitudinem habent. Nam quando rectiores ra-*  
*dios Solis regio aliqua excipit, & quo diuturnior Solis supra horizontem*  
*mora est, eo regio est calidior, frigidior vero contrariis de causis. Verum*  
*etiam si ex hoc situ varia aeris proveniat constitutio atque aliud Clima*  
*aliam aeris temperiem habeat: tamen alia praeterea concurrunt, quae*  
*in eodem etiam Climate diversam aeris constitutionem faciunt. Hinc*  
*non in omnibus sub eodem parallelo regionibus plane eadem est aeris*  
*constitutio; & nusquam sub eodem parallelo, quam in Ethiopia ethio-*  
*pes habitant, ob peculiarem loci naturam. Nam ibi ad alias, quae*  
*omnibus sub illo parallelo habitantibus communes sunt, caloris causas,*  
*accedit loci natura arenosa & sabulosa, quae conceptum calorem diu-*  
*tius fovet ac retinet, atque inhabitantium corpora exsiccat atque adu-*  
*rit. Secundo itaque loco terra facies propria ac natura ad aeris tem-*  
*periem constituendam facit: in qua spectatur, quae soli sit natura, an*  
*locus sit editus & altus vel humilis, quem montium & convallium si-*  
*tum habeat: quos ventos à quibus mundi plagis admittat & frequen-*  
*ter accipiat, an mare vel lacus vicinos habeat. Nam multum refert.*  
*an solum sit pingue, caenosum, glareosum, saxosum, arenosum; macrum;*

an ferat metalla, an vero iis destituatur. Succenturiatur Mundus de Aëre vitali C. III. §. 6. dum inquit : Exhalationibus acceptum feras præter locorum situm ; quod gentes eisdem parallelis incluse talem aeris anomalam, qualem videmus, patientur, alia æstus majorem, alia frigora magis intensa, quam solis vicinia aut distantia poscere videatur. Josephus Acosta narrat se in Indias Occidentales navigantem sub Sole in Zenith imminente cum sociis apricari præ frigore coactum, & tum demum poetas & aliorum deliramenta risisse, quicquid plagas præ æstu intolerabiles statuerunt. Idem Autor Peru, inter Equatorem & tropicum Capricorni sitam, ob amœnitatem & optimam cœli temperiem mire laudat : Potosiam autem regionem ejusdem metalliferam frigidam esse asserit; cum interea Brasilia in altero Peruvane littore, Africæ australi opposita, perpetuis ardoribus torretur. Australe Africæ promontorium incolas habet nigerrimos, & sua hyeme graviter alget, etsi polum antarcticum non supra gradum 34. elevatum spectat. Mauritania vero & Numidia à Sole non minore intervallo distantes, nisi in montium jugis, semper æstuant, aut certe vel hyeme sua tepent; at incolis fere candidis gaudent. Notum est, quam flebiliter Naso littoris Euxini frigora descripsit : Ausonius autem Aquitania suæ eidem sideri subjectæ breves facilesque hyemes laudat. Jamesius in Insula, quam Charletoniam appellavit, hyemare coactus est: in qua licet eodem intervallo ac Hibernia (quæ hyemes habet mitissimas,) à sidere polari distet, tamen ille cum sociis non minora incommoda à frigore passus est, quam Batavi in nova Zembla 23. gradibus polo viciniore. Est hinc, quod plures regiones australes calidissimæ sub Zona torrida, & quibus Sol in Zenith imminet, sint habitabiles; ita quidem, ut Avicenna cum aliis Paradisum terrestrem sub æquinoctiali posuerit. Quin refert modo laud. Mundius cit. tr. C. II. §. 2. p. 8. Terras inter tropicos, etsi solis orbitæ sint subditæ, (quas omnes veterum rudiorum nonnulli torridas & præ æstu inhabitabiles autumarunt) non modo habitabiles sed etiam salubres esse, & omnium rerum ad victum cultumque imo ad voluptatem pertinentium abundantia florere, adeo, ut, qui à septentrione profecti istas regiones adierunt, lotum gustasse videantur, nec facile ab Austri Sirenibus avelli queant. Inde est, quod tot Europæorum Colonie in calidis regionibus inveniantur. Lusitani in Africæ, Brasilia

lia & Indiæ oris maritimis sedes passim posuerunt, quarum nonnullas Batavi occuparunt. In America inter tropicos pleraque possident Hispani. Angli Batavi & Galli in insulis Caribæis sedes habent amœnas & perquam fructuosas, quibus Campania vel Sicilia invideat: Vere enim & virore perpetuo fruuntur, solesque alioquin arduos (NB.) ventis apogæis & tropæis mitigantur; terra etiam imbre assiduo aut rore copioso ita rigatur, ut arbores fructus toto anno producant, veteribus pomis decerptis aut deciduis novis statim succedentibus; & intanta terræ fœcunditate magna est incolarum sanitas, ac, nisi filum vitæ externa vi abrumptur, fere longævitæ. Et in sine Cap. in tractibus irriguis ac fœcundo solo præditis sub æquatore satis commode, imo nusquam salubrius aut delicatius, habitatur. Illic etiam invenitur uberrima pharmacorum sylva, quibus pharmacopolia totius orbis instruuntur.

§. V. Necessariis his ad scopum meum prælibatis, inquisiturus primo loco sum in situm regionis Hassiæ terrestrem: ubi quidem de Origine Hessorum seu Hessonum, item de veteris Hassiæ terminis, non ero sollicitus: siquidem hæc ad rem præsentem non faciunt; remitto lectorem curiosum circa hæc inquirenda ad *Althamerum de reb. German. in Tacitum*, *Carionem in Chronico*, *Conrad. Celtem, Cluverium de antiquit. German.*, *Herodotum*, *Pompon. Melam de Situ Orbis*, *Münsterum*, *Reusnerum de Orig. Misenorum*, *Plinium*, *Ptolomæum scriptorem Græcum*, *Schopperum in Cosmo. & Choro-graph.*, *Strabonem in Geogr.*, *Vellej. Paterculum*, *Pircheimerum in Tacitum*, *Cornel. Tacitum de German.* *Joachimum Vadianum Comment. ad Melam &c.* imprimis autem *Winckelmannum in Chronic. Hassiæ germanice conscripto P. I. C. 3.*, qui ubertim satisfacient.

§. VI. De hodierna Hassia vero sciendum; eam in parva, præstantissima tamen Orbis nostri quarta, (*Europam* indigito, inter quintum & duodecimum clima ab elevationis polaris 33. gradu cum semisse ad gradum usque fere 60. inter tropicum cancri & circulum arcticum jacentem, ab oriente mari Ægeo & Euxino, a meridie mediterraneo & Gaditano, ab occidente Atlantico, a Septentione Hyperboreo seu glaciali terminatam,) *magnæ Germaniæ* (dividitur enim antiquitus Germaniæ in primam seu superiorem, secundam seu inferiorem, & magnam) *regionem seu provinciam celebrem & insignem admodum existere.*

*Termini* ejus, prouti a Laud: *Winckelmanno* cit. loc. describuntur, a latere orientis dextro Thuringia, dehinc meridiem versus Franconia, trans Mœnum Palatinatus, occidentem versus a latere sinistro Rhenus cum Trevirensi Coloniensi ac Montium Dominatibus, & pars Westphaliæ, septentrionem versus rursus pars Westphaliæ, Visurgis, ditiones Brunsvicensis Paderbornensis & Mindensis sunt. Superior Hassia una cum superiori & inferiori comitatu Catimelibocensi Diezensi & Niddensi terminos agnoscit versus meridiem Franconiam & Mœnum fluvium, qui cum Rheno intuitu Dominatum relatorum ad occidentem tendit; versus septentrionem Episcopatum Coloniensem; versus orientem ad latus septentrionis (*Nord-Ostenwerts*) Hassiam inferiorem cum Dominatibus Ziegenhaynensi & aliis plurimis. Inferior Hassia e contra terminos agnoscit orientem versus Buchoniam, Thuringiam, Eichsfeldiam, versus septentrionem territorium Brunovicense, Paderbornense, Westphaliæ partem & Hassiam superiorem, &c. Specialiores qui desiderat terminos divisionemque Hassiæ ampliorem, adeat eundem *Winckelmannum* P. I. C. 4. p. 22. 23. Tota interim *Hassia Regio* magis in longum quam latum extenditur; longitudo incipit a terminis occidentalibus Braubachi vel ad oppidum Goar sub 29. gr. 30. min. terminaturque ad orientem Smalcaldiæ sub gr. 32. min. 50. & complet numerum milliarium Germ.  $33 \frac{1}{2}$ . latitudo vero exordium sumit ad plagam meridiei sub gradu 50. min. 10. & finitur versus Septentrionem ad novam urbem Carolo-Diemelam circa visurgim prope fluvium Diemelam, non procul ab urbe Munda, conficitque nulliaria Germ. 27. usque 28.

§. VII. Exhibito sic situ *Hassie terrestri* confero me ad positum ejusdem versus cælum & sidera; pro hoc accuratius sistendo prius locatio Germaniæ delineanda est. Sitam cernimus *Germaniam* nostram in temperato Climate, sub zona nimirum temperata seu collateraliter inter zonas frigidam & torridam collocata, sub 36. & 40. circulo meridiano, magis versus septentrionem quam meridiem; quæ cum in obliquo spheræ positu existat, & unam saltem solis umbram ab uno semper latere recipiat, incolæ hujusdem heteroscii, quasi alter umbres, Germ. ein *schattige* cluent: Unde & in maximo isthoc Germanorum regno mitius longe frigus, quam in regionibus borealibus Norwegia v. g. Lappia &c. moderatiorque æstus, quam in australibus, v. g. Ægypto

ptō pluribus Asiæ & aliquibus etiam Europæ provinciis observatur, atque atmosphæra ex calore & frigore temperatur. Hujus *Germaniæ* Meditullium fere constituit *Hasfia nostra*, Zodiacali signo capricorni subjecta; cujus Climatis, paralleli &c. inveniendi gratia ex medio regionis puncto, quod est celebre studiorum emporium Marpurgum, computum instituiam. Antequam vero id effectum dem, monendum, veteres Astronomos Zonas divisisse in 7. saltim Climata, quorum denominationem videsis in *Micrælii Lexic. Philos.* modernos autem eorum ad circulum polarem arcticum numerasse 24. imo quosdam alios adhuc 24. trans æquatorem addidisse, & sic 48. constituisse. Hanc quidem doctrinam Climatum parallelorumque *Ingeniosissimus Sturm* in *Geogr. Mathemat. pæfat.* tanquam inutilem & maxima cum confusione ab Autoribus tractatam e Geographia eliminandam potius censet, quippe qui nova plane & accuratiora globorum schemata promittit: quam nihilominus cum plures e modernis Geographis admittant, aliosque edoceant, hic negligere nefas judicavi. Distat ergo *Marpurgum* ratione longitudinis ab extremo meridiano gr. 32. & 35. min. vel juxta *Sturmium Geogr. Mathemat.* p. 100. 28. gr. 17. min. ratione latitudinis ab *æquinoctiali seu altitudine poli* 50. gr. & 43. vel juxta eundem *Sturm.* 41. min. subjacetque octavo climati & 17. parallelo; proximum locum a Climate septimo temperatissimo, (inter 12mum & 14 tum parallela constituto, ubi elevatio poli a gradu 43. ad 47. usque & paulo amplius se extendit, de quo consule *Renatum Moreau tract. de conserv. valetudine S.I.C. I. membr. 7.*) occupante. Tempore Solstitii æstivi sole in 69. transeunte, quod circa 20. Junii instat, lux diei ibidem ad summum durat 16. horas & 9. min. circumferentia in milliaribus germanicis 3471. minutis primis 3. secundis 57. tertiis 36. circumferentia in minutis primis 208263. additis secundis 47. tertiis 36. circumferentia in minutis secundis 12495837. additis tertiis 36. circumferentia in meris tertiis 749750256. Milliarum germanica singulorum graduum 9. Minuta milliaribus adjicienda 38. Residuum milliarium non divisorum 231. Minuta prima singulorum graduum 578. Residuum minorum non divisorum 783. Minuta secunda singulorum graduum 34710. Residuum secundorum non divisorum 237. Minuta tertia singulorum graduum 2082639. Residuum tertiorum non divisorum 216.



§. VIII. Ita comparata est locatio *regionis Hassiacæ* ad plagas cœli, quam intuitu aliorum Dominatum plurium, præprimis si simul conditio terræ attendatur, longe *salubriorem* imo *saluberrimam* esse nemo non profitebitur. Ob hanc siquidem cœli benignitatem benignissima quoque quoad frigus hyemale, (quod ibidem sic satis est tolerabile) calorem siccitatem & humiditatem ætatis reliquarumque anni partium Principatus istius temperatura est; & quod notabile, animalibus atque insectis, quæ *venenata* vulgo audiunt, ferme caret. In primis autem huc applicari merentur verba *Galen* L. *Anim. mor. seq. temp. corp.* sic habentia: *Quis nescit, qui inter hos* (loquitur autem de hominibus loca septentrionalia & ad zonam torridam inhabitantibus,) *medii regionem bene temperatam colunt, & corpore esse & moribus animi ingenii felicitate & prudentia illis hominibus præstantiores.* Qua salubritate & temperamenti jucunditate magnam partem modo laudatum *Marpurgum* fruitur. Fusiora omnia exhibebuntur Cap. seq.

## CAP. III.

De

ATMOSPHERÆ HASSIACÆ CONSTITUTIONE SALUBRI, HUIUSQUE CAUSIS VARIIS, POSITU SCIL. SIDERUM, VENTIS, MONTIBUS, SYLVIS, PRATIS, VALLIBUS, FLUMINIBUS, ETC.

§. I.

**V**iso situ & locatione regionis nostræ quoad cœli & terræ plagas, operæ pretium jam est, *Atmosphæræ Hassiacæ naturam & constitutionem* perpendere. Oportet autem melioris notitiæ ergo generalia quædam præliminari. Ne tyroni itaque medico quidem ignotum puto, *aerem mixtum* intro & foris homini advenire; inspiratur siquidem, cum alimentis ingeritur, & ab extra corpus immediate tangit. Cujus quidem inspiratio & contactus eidem adeo necessarius est, ut, si aliquot saltummodo momentis intercipiatur, dere-

pente vitam cum mortē commutare cogatur. Intuitu itaque inevitabilis aeris ad vitam conservandam præsentiaë fusius paulo de hoc ejusque natura & essentia ac alterationum causis differendum, atque demum hæc themati præsentī applicanda erunt.

§. II. Duplicis acceptionis *vox aeris* Physicis est, mox enim *aer* & *æther*, mox *aer* & *atmosphæra* iisdem sunt synonyma; *priori sensu* corpus rarissimum & purissimum, *posteriori* densius & variis ac heterogeneis effluviis inquinatum significat. Verum melius faciunt illi, qui *aerem*, termino *generaliter* sumto, dispescunt in simplicem & purum, h. e. *ætherem*, ab omnibus peregrinis effluviis plane liberum; & *compositum* seu *mixtum*, i. e. partibus heterogeneis maritatum. *Prior* definitur ab omnibus Physicis & Mathematicis hodiernis quod sit corpus rarissimum fluidissimum celerrimæ agilitatis & pellucidum ex subtilissimis particulis homogeneis conflatum atque adeo tenue, ut quibuslibet motibus obsequatur: ob quam sui uniformitatem semper etiam bene dispositus anima quasi hujus universi est. *Posterior* denotat idem fluidum æthereum &c., in cujus substantiâ vapores & effluvia è globo terraquo sublimata penetrarunt, ibidemque dissoluta ac dispersa cum partibus æthereis in unam massam compositam coiverunt. Quæ ipsa aeris homogenei subtilioris & heterogenei densioris differentia vel ex hoc abunde probatur: quod aer heterogeneus tanta præ aeris homogenei particulis atomorum magnitudine & crassitie polleat, ut in has incidens lumen siderum resplendescentiam quandam causetur, quæ non item in æthere occurrit; istæ etiam vitri aliorumque corporum poros minores pertransire nequeant, quos tamen illæ transeunt; & ope antliæ pneumaticæ hæc è vase recipiente, illæ vero neutiquam educi possint; præterea quoque heterogeneæ, sicuti quidem æthereæ, nec productioni nec propagationi luminis inservire valeant.

§. III. Massæ totius aereæ immenso spatio diffusæ, terram & planetas complectentis, partem superiorem à terra remotam & sideribus propinquiorem purissimam ac à miasmate quovis terræstri immunem cum *Mundio cit. tr. C. I. §. 1. Cælestem & ætheream*; alteram vero terræ propiorem, vaporibus & exhalationibus quibuscunque repletam, *atmosphæram* nominamus: cujus altitudinem *Keplerus* 8. miliarium

arium, *Ricciolus* 50. *Italicorum*, *Gassendus* vero & *Mersennus* 40. æstimant.

§. IV. Hanc atmosphæram rursus in tres regiones dirimunt Peripatetici, & cum his etiam aliarum sectarum Philosophi, (*Mundus* cit. loc. §. 2. in duas saltim dividit, videturque primam ætheri annumerasse,) non loco & situ saltim, sed natura & qualitatibus quoque differentes: *Primam* videlicet seu *supremam* ætheri contiguam, perpetuo calidam (quod assidue edisserit *Mallet in libr. Beschreibung des Welt-Kreiffes P. I. C. IV. p. 76.*) tum ob ætheris viciniam, tum ob motus perpetuitatem cum astris primoque mobili communem, nubibus vacuum & immunem, partim propter remotiorem præ reliquis a terra distantiam, partim propter continuam motus dicti calorifici perennitatem; leviorum exhalationum calido-siccicarum minime expertem, quibus hinc inde ab æthere proximo aliquando accensis variæ spectantur nobis cœli formæ igneæ, quas prolixè enumeravit *Deodatus in Pantb. Hyg. L. I. C. XIV.* Hanc regionem ultra cacumina montium per 13. milliaria germ. elevari, legere est apud *Micral. Lexic. Phil. p. 66.* *Secundam* seu *mediam*, sedem exhalationum & vaporum crassiorum, unde nubes fulmina & ventorum materia potiorem partem proveniunt; quare & frigidior reliquis, imo secundum *Aristotelem* valde algida perhibetur, quia reflexos radios solares non percipit, nec ab æthere ob nimium intervallum atque interpositam atmosphære regionem primam, nec etiam circulari motu, incalescere potest. *Tertiam* seu *infimam* citimamque, temperaturæ variæ, ac eousque extensam, quo usque moleculæ resplendescentes ascendunt, & radii solares reflexi penetrant, quod spatium quidem ad amissim determinabile non est, ad summum tamen vix 4. milliaria germ. excedere creditur: scilicet, cum inordinate admodum vapores & exhalationes globi terraquei ascendant, (dum, testante experientia, mox hic copiosiores & vehementius, mox illic pauciores & tardius &c. in auras elevantur,) conjectu haud difficile est, exinde quoque altitudinem atmosphære infimæ variari, præsertim, quando diversa radiorum solarium in hanc actio, hujusdemque rarefactio, condensatio, halituumque diversa gravitas accedit. Licet itaque non *positive*, *negative* tamen, (i. e. ita, ut altius 4. milliariibus teutonicis non sit,) ex initio & fine crepusculorum, solisque sub Horizonte profunditate, tertiæ atmosphære regionis  
spa-

spatium quodammodo determinari potest, calculum sic faciente *Weigelio Spheric. Euclid. L. III. obs. 16.*

§. V. In hac infima aëris mixti regione idoneum feminibus rerum fovendis & aptum eorum in vitam productorum conservationi focum DEus Altissimus constituit; in hac sanitatis & morborum, salubritatis & insalubritatis media ac instrumenta secundum certas hujus affectiones ab eodem Celsissimo Numine posita sunt: aliter enim in corpora humana agit atmosphæra calida, aliter frigida, sicca & tenuis aliter, aliter denique humida & crassior, aliter si particulis diversis heterogeneis insalubribus, plus justo gravibus atque nimii & ferventis motus &c. aliter, si salubribus ac temperati motus, &c. imbuta sit.

§. VI. Has igitur *atmosphæra* tum *affectiones proprias* tum *accidentia delibaturus* in *propriissimas* ejus *affectiones*, *gravitatem* nempe & *elasticitatem*, quæ *posterior* in *ejus compressi aptitudine ad rarefcendum consistit*, evitandæ prolixitatis gratia inquirere easque probare supersedeo, tantis siquidem hæctenus experimentis & rationibus à probatoribus Physicis hæ ipsæ, contra Peripateticos præprimis, levitatem aeris absolutam defendentes, demonstratæ sunt, ut nihil amplius fere ad eas impugnandas supersit; evolvi circa has possunt inter alios *Boyle de Vi aeris elastica experim. V. it. experiment. de aere continuat. 2. Machin. Papin. nov. Cornel. Consent. de circumpuls. Platon. Mariott de aere p. 5. 6. 12. 45. & 46. Paschalius de gravit. aeris C. I. Sengverd. Philos. Nat. P. III. C. 1. §. 2. & 4. & C. II. §. 1. 3. 5. & 6. Weigel. tr. cit. L. II. Observ. 15. Coroll. 2. Mund. L. cit. C. VII. De Lanis Magist. Nat. & art. tom. 2. L. VI. C. II. propositione potissimum 19. append. 1. 2. & 3. &c. Job. Alphons. Borellus de vi percuss. propos. XII. du Hamel Phys. gen. tr. 1. Disp. 3. quest. 3. concl. 1. In specie Dissert. de Potent. ventor. in corp. hum. Cel. Hoffmanni §. 2. 3. & Dissert. de Elast. aeris Eruditissimi Dn. Hambergeri Professoris mei quondam in Physicis & Mathematicis solertissimi. Ejus potius *caliditatem humiditatem frigiditatem & siccitatem*, (quippe quæ consideratio multum ad rem præsentem facit,) lustrabo. Tribuunt affectiones hæc singulas Peripatetici *aeri ut tali*, seu verius, *simplici*, tanquam qualitates primas, proprias, atque ex natura sua profluentes: verum quamvis, quod *siccitatem* hancque semper fere concomitantem *tenuitatem*,*

item

item *frigiditatem* concernit, cum *Petito de frigore & calore art 4.* illis sub certa limitatione concedi posset, aerem per se & naturaliter frigidum, (quod frigus tamen *Mund. cit. tr. C. III. §. 4.* aeri proprium esse æque negat, sed potius particulis nitrosis certo modo dispositis adscribit,) per naturam etiam siccam & tenuem, i. e. ad recipiendas exhalationes aqueas habilem, existere; quoad tamen *caliditatem & humiditatem* assertum minus videtur probabile: quatenus omnem calorem ab extra à Sole & effluviis siccis volatilibus motis advenire meridiano lumine clarius est: dum pro illius radiorum præsentia & propinquitate horumque modo perpendiculari modo obliqua magis incidentia atque reflexione, aeris temperies plus minus calida existit, de cætero vero sole absente vel remotissimo frigida, imo frigidissima deprehenditur. Probant hoc noctes ob carentiam radiorum solarium præ diebus semper frigida, probant orientalibus longe frigidiores imo frigidissimæ regiones plures septentrionales & meridionales, ob radios solares longa via dissitos & exinde productum frigus immensum plerumque non habitabiles; quale frigus in plagis extremis poli arctici & antarctici perpetuo regnat, tanta quidem cum sævitia, ut nautæ in mari hyperboreo s. glaciali balænarum capturæ operam dantes moles glaciei montium æmulas, ab æstuariis aut vastis fluminibus illuc delatas & acervatim congestas, quasi insulas in mari natantes ac veras symplegades, passim navigantibus interitum minantes conspexerint. In moles istiusmodi, fronte minaci mali navis summitatem superantes, (nihilominus tamen septimam tantum partem è mari extantes, prouti recensente *Mundio Lib. cit. C. IV. §. 2.* experti narrant,) se imegisse scribit *Jamesius in ephemeride de navigat. septentr.* Gelidus hicce aer in oleum cerevisiam & vinum, (generosissimum etiam, non autem spiritum vini rectificatum,) tantopere sævit, ut pene fiant inutilia; quin arborum quoque truncos maximo cum fragore, ac si machinam muralem pulvere pyrio disploderes, diffindit, lapides dissilire, humumque in *Mosciforo* magis, quam in nostris provinciis ab æstu, dehiscere facit, & quod stupendum, ignes ægre ardere, nec homines nec aquam ad hos (vel profecto tarde,) caleferi permittit. Refert enim id. *Mund. l. c. §. 3.* Anglorum & Belgarum in Charletonia & Nova Zembla hyemantium ignes in hybernis accensos præ aere ambiente intensissime fri-

gido adeo languide arsisse, ut assidentes eisdem ne calefierent quidem: notavitque laudatus *Jamesius tract. memorat.* partem alteram aquæ aheno infusæ igni proximam ægre calefactam, alteram vero eodem aheno detentam priori oppositam & aeri objectam glaciem pollicis crassitie contraxisse. Similia narrat *Marcus Paulus Venetus* de quadam *Tartaria Valle*, montibus in orbe editissimis subjecta, in qua ignis ardere nequit; it. *Diodorus de Scythia circa Tanaim*, ibidem nimirum præ frigore ignis splendorem nullum, hominumque oculos obfuscar, & quod fabulosum forte quibusdam videbitur, simbras vestium aliquando à gelu detritas decidisse. Imo *metallis* quoque vim inferre frigus ejusmodi horrendum testis est *Strabo*, qui *aneas hydrias* à frigore in *Ponto* diruptas recenset. Dicuntur propterea loca isthæc frigidissima *periscia*, quasi *circumumbria*, germ. *umb-schattige* / ex eo, quod ob solis defectum perpetuam ferè umbram habeant.

§. VII. Quemadmodum autem remotissima ex obliquo Solis distantia, ejus item radiorum absentia, frigori vel minori vel majori, uti allata exempla evincunt, ansam præbent, (ad cujus tamen vehementiam aliquando vapores aqueo-salinos in aerem elevatos, hujusque motum ultro impediens, ipsis tempestatibus hyemalibus hoc monstrantibus, multum conferre, nullum est dubium:) sic è contrario Solis presentia, radiorumque illius plus minusve directæ & perpendicularis seu acuta incidentia atque reflexio, (non exclusis tamen effluviis terre siccioribus elevatis, simul concurrentibus,) caloris vel levioris (teporis,) vel temperati, vel etiam excedentis, imo intolerabilis, causa fit. Exempla nobis (positis ponendis) exhibent zonarum torridarum (septentrionalis scil. inter æquatorem & tropicum cancri, & australis inter æquatorem & tropicum capricorni, inclusarum) regiones, quas Africanas, Asiaticas, & Americanas potissimas enumerat *Dicelius Geogr. gen. p. 106.* in quibus Sol ex Zenith certo tempore verticalis est, & radii ejusdem reflexione per angulum acutum imo acutissimum duplicantur. Notum namque mercatores per desertæ Arabiæ arenas proficiscentes vehementi Solis æstu cum camelis suis in ipso itinere extinctos concidisse, ob quam causam tot illic sunt solitudines; quarum incolæ (incolas enim illæ regiones non habent, nisi prædæ gratia mercatoribus insidiantes Arabes, deserta illa hinc inde per aliquod

quod

quod tempus pervagantes,) caloribus misere cruciantur: quin intolerabiles habitationum accolarum istorum æstus fore scribitur, nisi multo artificio eos mitigarent; etenim sub-dio ambulantes Soli ardenti umbracula opponunt, dormientibus dominis servuli adstantes flabellis ventos afflant, multi speluncis interdiu se defendunt, noctu sub-dio dormientes, alii in venti-ductibus auram captant. *Ormusia* (Lusitanorum in sinu Persico celebris emporii) tum cives tum advenæ in hypogæis frigidaë mento-tenus demersi de die dormiunt, aut otiantur, de nocte vero surgentes mercaturæ & aliis negotiis vacant; quidam aeris inspirati fervorem tolerare nolentes in umbra desident, & frigidam (nivalem etiam, ubi ex vicinis montibus haberi poterit,) avidissime & ad nauseam non bibunt sed corporibus infundunt, & ne sic quidem sitim inexplebilem restinguunt, quin ventrem potius adeo his replent ac distendunt, ut à Lusitanis dolia appellentur. Ad eandem urbem *Ormusiam* auræ candentis, ab arenosis desertis delatæ, ardentissimo afflatu integer aliquando exercitus suffocatus periit. Appellatur dehinc sub zonis istis torridis degentes *ascii* seu *nullumbres*, (*Ohnshattige*) item qui in medio harum sunt *ambiscii*, *utrinqumbres*, (*zweyshattige*) quia cum sol ultra citraque Zenith digreditur, umbras meridianas interdum in Boream, interdum in Austrum, interdum versus occasum, versus ortum interdum, (hocque vespertino illud matutino tempore) videant cadentes. Insanire *proincalorem aeri ex ejusdem tenuitate proprium* statuere volens videretur, qui potius velocissimo *radiorum solarium* variæ incidentiæ motui, tum quoque rapidiori ab his *corpusculorum sulphureorum aliorumque calidorum* elevationi atque agitationi adscribendus est.

§. VIII. Paream difficultatem patitur & illa assertio, quando *Aristot. L. de generat. animalium* & alibi cum suis asseclis *humiditatem aeri propriam, & essentialem* tribuit, quam tamen pure accidentalem esse vel unicum hoc evincit: quoniam sibi relictus ad absorben- das & imbibendas multas humiditates aliorum corporum aptus observatur; quod fieri nequaquam posset, si natura sua humidus existeret, id quod pluvix frequentes, flumina & stagna, abunde commonstrant, quatenus hæc sæpius radiorum solarium, moleculas aqueas in auras elevantium, auxilio penitus exsiccantur.

§. IX. Hæ qualitates seu affectiones generales atmosphære adeo sunt necessariæ, ut nunquam ab his libera sit : propterea tamen nullatenus, uti dictum, spectant ad aeris homogenei essentiam ; hunc namque sine illis existerè facilis probationis est.

§. X. Aliter paulo se res habet cum qualitatibus specialibus ; id est illis, quæ propullulant ex separabilibus in atmosphæram elevatis effluviis, utpote quæ omnia ex hac abesse poterunt, plurima etiam in multis regionibus absunt, (quamvis aliqua eorum locis certis sint quasi propria, uti *Londini* in Anglia & hic *Halis* effluvia salina atque carbonum fossilium, circa metalli-fodinas effluvia volatilia metallorum & mineralium, circa civitates effluvia fumosa acida ex lignis combustis, nullo anni tempore ne per diem quidem absentia.) Talia effluvia variæ & innumeræ pene sunt indolis, caliginosa nimirum, fuliginosa, marcida foetentia atque gravem mephytim spirantia, paludosa, uliginosa nidorosa putredinosa venenosa contagiosa pestilentia ac deleteria varia, è mineralibus exurgentia, sulphurea mercurialia arsenicalia antimonialia &c., salina varia, vitriolata puta, salsa, acida, corrosiva, acida alcalica nitrosa &c. diversis meteororum impressionibus alterata, ignea terrea ; it è plantis & animalibus redundantia ; rorida tandem (rosca) suavia, odoris omnis generis fragrantis salubrioris spirituosi ac volatilis, & quæ id genus innumera sunt alia.

§. XI. Imprimuntur vero aeri puriori qualitates istæ atmosphæricæ si non omnes atque singulæ pleræque tamen *primario* per motum siderum, uti quidem superius hinc inde demonstravi, quatenus nempe hic, totum aera in intimis etiam terræ visceribus & aquis commovendo, separat ac elevat diversissimi generis halitus & vapores, tum salubres tum noxios ; de quorum præcipuorum tantum non omnium jam enumeratorum diversissimo effectu operationibus & virtutibus in hominum corpora adeas solertiss. *Mundium tr. alleg. C. 2. §. 2. C. 4. §. 4. C. 6. §. 5.* capitibus denique 5. 8. 9. 10. 11. 12. integris, ex asse profecto satisfacientem : *Secundario* affricantur per motum aeris ipsius violentum, *ventos* nimirum, effluvia talismodi hinc inde dissipantes, inque alia loca transferentes : quorum naturam, quantumque hi in inficiendo & alterando aere valeant, paucis enodabo.



§. XII. De cardinalibus vero potissimum sermocinandum est, siquidem ab his *aeris immutati & mixti* cardo dependet, cum quovis anni tempore spirent, hincque cum suis collateralibus ab *Hippocr. tr. de aere aqu. & loc. κόινὰ πνεύματα* venti communes audiunt, & particularibus seu vernaculis contradistinguuntur. Dicuntur vero cardinales, quod à quatuor mundi cardinibus flare soleant; ab ortu nimirum æquinoctiali *Subsolanus*, (*Ostwind*) ab occasu æquinoctiali *Favonius*, (*Westwind*) à meridie *Auster*, (*Sudwind*) à septentrione *Aquilo* seu *Boreas*, (*Nordwind*): reliquos ventos XXVIII. cardinalium nimirum collaterales, integros, dimidiatos, & quadrantes si addiscere cupias, evolvere poteris elegantissimum ventorum schema seu typum horumq; omnium denominationem apud *Renatum Moreau Comment. scholæ Salernit. C. I. membr. 4. Sturm. Geogr. Mathem. Tab. III. fig. I. & Marcell. Consp. Geogr. C. V. p. 14.* Ventis communibus annumerantur venti *anniversarii*, certo tantum tempore se manifestantes, *chelidonia* nimirum vere, *ethesie* æstate, (hos præcedunt *præcurrentes*,) *Oribis* post brumam & *alii singulis mensibus spirantes*, quos descripsit *Blondus Lib. de navigat. Particulares seu vernaculi venti ἐπιχώρια πνεύματα* Laudato *Hippocr.* dicta, certas differentias vix habent, cum nemini singularum regionum naturam indagare, ventosque illic flantes adeo accurate observare concessum sit: ad duo nihilominus capita commode revocari, & in *aquosos* atque *terrestres* dispelci proterunt: priores sunt primo *sinuales* seu *encolpiae*, qui scil. juxta flumina fiunt, vel è sinu quodam exeunt; secundo illi, qui è *mari prodeunt* *vicina loca afflant*: Posteriores (1.) è *terrarum plano* elevantur, & *Plinio H. N. L. II. C. 43.* atque *Autori Lib. de Mundo altani* nominantur: qui, cum ad mare pergunt, *apogaei*, si vero à mari recedunt, *tropaei* audiunt; (2.) è *speluncis & antris subterraneis* prodeunt, quos ideo *Charonias* vocant. Alios quosdam regionibus aliquibus, exteris præprimis, magis proprios & vernaculos evolutum ibis apud *Hippocr. loc. alleg. Plinium l. a. C. 47. Senecam in Libr. V. natural. question. C. 17.* & laudat *Mundium L. mem. C. XIII. p. 84. seq.* Pollent hi venti omnes atque singuli tum cardinales tum collaterales & vernaculi ratione naturæ suæ, motus plus minus vehementis, atque elevatorum corpusculorum, variis viribus & facultatibus regiones earumque incolas afficiendi: *Dedit enim, inquit Seneca quest. nat. L. VII. C. 18. summus ille*

*rerum artifex ventos ad custodiendam cœli terrarumque temperiem. Et quamvis Hippocr. L. de diata text. 4. §. 2. usque 10. statuatur, ventos omnes ex constitutione sua propria humectare & frigefacere, quoniam singuli à locis glacie & nive obstitis geluque vehementi affectis, à fluminibus & stagnis, prodeant: nihilominus tamen eosdem propter situm regionum ac locorum, quos perflant, diversas vires acquirere, & alium alio calidiorum frigidiorum humidiorum sicciorum, ob varia effluvia morbosiorum salubriorum esse §. 11. 12. rectissime scribit, posterioribusque textibus duobus erudite admodum deducit. Quatuor proinde cardinalium facultates exhibiturus dico; Aquilonarem à septentrione spirantem (cis æquinoctialem imprimis & in nostro hæmisphærio) frigidum siccum serenum limpidum & subtilium partium esse, suisque particulis nitrosis copiosissimis aerem summopere purgare, nubesque fugare, atque corporum profundum subire, dehinc putredini resistere, constringere, densare, superfluum humidum consumere, appetitum excitare, sudores & fluxiones cohibere, virtutem generativam augere, & ut verbo Hippocr. Lib. de sacr. morb. efferam, saluberrimum omnium ventorum existere, Cœlio Rhodigino L. 20. C. 18. exemplo manifesto id probante: quando in Lesbo insula flante Austro & Coro incolas ægrotantes & tussientes superveniente vento Aquilonari protinus convalescere memorat: unde mirum non est ventum Aquilonarem homines roborare, ut vegetiores longe majores & robustiores reddantur, more Germanorum, quorum corpora exinde & viribus & mole præstantiora conspici non inepte concludit Deodatus Panth. Hygiast. L. I. C. 15. qui propterea, referente Julio Cæsare, Romanis fere terribiles extiterunt. Nocet tamen & is, multum nimirum invalescens, (ὀπόταν δυναστεύειν dicit Hippocr.,) diutiusque durans, senum præcipue & tenellorum atque reconvalescentium generi nervoso, alvum indurat, venas rumpit, difficultatem urinæ causatur, stuporem inducit, fauces exasperat, oculos latera & pectus lædit, tusses movet, unde phthificis obest, præterea flores & fructus corrumpit sementemque adurit. Proximus ab hoc ad latus sinistrum est Subsolanus, (Mundio Eurus,) ab ortu æquinoctiali spirans, qui secundum Lemnium antelucano subfrigidus, meridie vero Sole in Austrum vergente tepescens, & caloris languidi est ac moderati, humectans aliquando æqualis & mitis, de cætero aquas salubritate donat, sensus vegetat, foecun-*

fœcundat, humores attenuat, expurgat, dehinc plurimorum confessione *aquilonari* salubritate minime cedit, quin omnium ventorum *temperatissimus* & saluberrimus æstimatur, calculum adjiciente *Aristotele L. VII. Politic.* qui *urbes ad auroram sitas* & *vel ad orientales vel ad aquilonares ventos spectantes decernit saluberrimas* : quamvis interim & is quoque (causam allegante laud. *Mundio C. XIII. §. 15.*) *occiduis Europæ partibus* & *occidentalis Africæ incolis* aliisque quibusdam gentibus, earumque frugibus vere præsertim ineunte, minus salubris de prædicetur : unde forsitan & Hebræis ventus tenuis exurens & exsiccans sanitatiq; maxime infensus audit, ex eo, quod exhalationibus asperis salinis terrestribus arenosis calidis ac retorridis variarum regionum æstuantium stipatus longo ab oriente tractu accederet. *Subsolano* è diametro ad latus Aquilonis dextrum opponitur *Favonius* seu *Zephyrus*, propter beneficia ita dictus, ab occidente æquinoctiali flans, moderate frigidus & humidus, exhalationum terrestrium expers, blandus lenis amœnus suavis, frugum nutritor : quippe qui flosculos elicit, omnia revivificat, sanguinem aliosque humores corporis sinceros procreat, eosque lætitia perfundit, hinc admodum salubris censetur nobis Europæis, verno præsertim tempore : minus tamen salutaris & noxius evadit is, quando ob immodicam vaporum ab oceano elevatorum & dilatatorum copiam vehementia *fratribus suis collateralibus, Africo* & *Coro* potissimum, non cedit, quin hosce nonnunquam superat, quod ex *relatione Scaligeri exercitat. 285. ad Cardanum in Vasconia* usu venit, ubi raro sine incolarum pavore & detestatione ingruit. A latere Subsolani sinistro & Favonii dextro ex opposito Aquilonis à meridie flat *Auster*, nobis Europæis, Germanis potissimum, *omnium ventorum insaluberrimus*, intemperate calidus & humidus, ex eo, quod per longissimos maris tractus & aridissima terræ loca spiret, ciet hinc pluvias impetuosas, imbres & procellas, magnarumque tempestatum autor est, præterea vires corporis dejicit, meatus cutis referando miasmata sulphurea insalubria, quibus scatet, corpori immittit, humores liquat turbatque; & teste *Hippocr. III. aph.* sensus gravat, motus segnes reddit, articulorum robur laxat, febres ac putredines causatur, & quæ magno numero incommoda plura recenset *Deodatus L. I. Panth. Hyg. C. 15.* is tamen & ipse populis *Antœcis, Africanis, Lybicis* præprimis gentibus, salu-  
bris

bris est, quippe frigidus ibidem aerem serenat. Plura & experimentis accuratioribus confirmata circa motus operationes & virtutes ventorum cardinalium videsis in dissert. *de Potent. ventorum in corpus humanum acutiss. nostri Hoffmanni* à §. 9. usque ad finem, in qua dissert. §. 7. 8. c de causis & origine ventorum onceptus etiam invenias ingenio sissimos itidem experimentis pluribus deductos. Virtutes & facultates collateralium intermediorum seu majorum & collateralium dimidiatorum &c. quod attinet, eas (ne tractatum conscribere videar,) speciatim tradere nolo, potissimum cum à cardinalibus ventis, quibus hi interjecti sunt, pro ratione vicinæ, qua huic vel illi magis junguntur, has mixtas participant: quamvis & hic diversitatem quandam pro varietate locorum subesse demonstrat *Mund. l. c. §. 8.* Exhibet qualitates ventorum horum, ut & anniversariorum, particularium item seu vernaculorum, atque regionibus quibusdam propriorum, fuisse satis præter jam adductos Autores varios locis allegatis omnium optime *Eruditissimus Angliæ Cancellarius de Verulamio in Hist. Vent.*

§. XIII. Limitatur atmosphæræ & ventorum constitutio ac virtus insigniter per *montes, sylvas & aquas defluentes, &c.* Montes plerumque saxosi sunt vel fabulosi, variosque continent lapides pro varia succi lapidescentis accepti natura, quem subiens major minorve calor excoquit vel indurat. Hos inter sunt etiam venæ, refertæ pinguiore liquore sulphureo & salino mercuriali, atque æthere spirituofo minerali, tempore ingressionis metallorum semper præsentæ, ex quibus diverso caloris gradu & motu diversa tum mineralia tum metalla, diversique fluores, sales, &c. pro conditione terræ plus minus puræ, efformantur procreanturve. Ingressus talis metallorum (*Der Einzug der Metallen*) loca montana admodum nobilitat, fertilitateque ac salubritate aeris insigni donat, inprimis si liquor ille æthereo-metallicus circa metalla ascendenti occupatus sit, (*wenn er das aufsteigende Erz im Werck hat*) probe hoc animadvertente *Basilio Valentino Lib. Vom Bergwerck / dessen Ursprung &c. C. V. & VII.* afficiunt enim tunc atque emolliunt quasi exhalationes metallicæ subtiliores ac spirituosæ (*die Auswitterung*) usque ad superficiem terræ penetrantes hanc adeo: ut pulcherimos fructus & flores balsamicos, citius etiam maturescentes, protrudat; obducuntur hinc ejusmodi regiones metalliferæ in superficie terræ calce quasi quadam ab exhalationibus talibus & resolutis

lutis terreis partibus concreta, quæ humiditate aquea accedente (wenn die Wasser zu Tag auff den Boden hinein kommen) leniter incallescendo in terram summæ fertilitatis & salubritatis transit, in cuius rei exemplum *idem Basil. Valentinus l. c. C. XXIII. Hungariam*, regionem per totum metalliferam, tanquam frugum omnium fertilissimam saluberrimamque in medium producit. Cum grano itaque salis legenda sunt verba *Sennerti* loco supra cit. quando *loca metallica venenosam sæpe & malignam auram exspirare* scribit.

§. XIV. Quid itaque mirum? Editiora & montana loca pleraque variorum vegetabilium florum fructuum balsamicorum odoriferorum atque penetrantioris energię ut plurimum esse fertilissima; quæ vegetabilia amica sua & gratissima suavitate *atmosphæram* (vel extra hoc liberioris ac sanioris jam usuræ,) illic afficiunt, & commodissimas atque saluberrimas hominum habitationes tum in jugis, tum ad latera sui exhibent: ut taceam comoda locorum editiorum alia plura, ob quæ reliquos terræ tractus præcellunt, aquarum videlicet & fontium puriorum præsentia, fructuum omnis generis laudatissimorum ubertas, vinorum præstantia, diversissimorum animantium lignorum etiam sylvarumque copia, pascuorum salubritas & elegantia, prospectus longi latique amœnitas, homines locorum istiusmodi editiorum inhabitatores mirum quantum recreantia; quæ recreatio ad sanitatis conservationem & longævitatē non parum confert. Cernimus ea propter *monticolas* (montes imprimis mediocriter elatos & libere perflatos inhabitantes) *cæteris ut plurimum saniores robustiores alacriores & vivaciores existere*, cum *Avicenna* per experientiam ita loquente *Deodato Pantb. Hyg. L. i. C. 19.* istudque uberius confirmante *Fræcell. Hoffmanno dissert. de Peregr. sanit. caus. instit. C. III. §. 4. p. 16. & 17.*

§. XV. Diversa tamen *montium altitudo situsque ad mundi plagas*, radiorum solarium & ventorum etiam hinc inde spirantium atque in hos illidentium, dehinc auræ quoque *atmosphæricæ*, nativam virtutem insigniter alterant ac limitant, sæpius non sine insigni comodo, prout nimirum urbes oppida arces & pagi ad hoc vel illud montium latus situm suum obtinent: audiamus hac de re acutè fatis differentem *Sennertum l. supr. cit. Loca* (inquit) *editiora frigidiora fere sunt, ventisque magis perflantur, humiliora vero calidiora*  
D
sunt,

sunt, radiorumque Solis repercussionem citius ac vehementius excipiunt; & qui ad radices montis meridiei & orienti obversi habitant, longe majorem calorem sentiunt, quam qui post montem versus meridiem ortumve situm habitant, quibusve septentrio & occasus patet, oriens vero & meridies monte clauditur. Nam qui priorem loci situm habent, mox matutinos Solis radios excipiunt, ejusdemque meridianis radiis & aestui objiciuntur: qui vero posteriorem situm obtinent, majorem diei partem sine radiis transigunt, atque interim septentrionali auræ patent, demumque Solis ad occasum declinantis radios excipiunt. Montium quoque situs facit, ut quadam loca quorundam ventorum flatibus magis vel minus exposita sint, atque ita juxta ventorum, quos magis excipiunt, naturam magis frigeant vel caleant. Nam si montes Boream arceant, admittant vero Austrum, accidit, ut loca sint calidiora & humidiora; contra, si ob montium situm, Austrum aditus intercluditur & Boreas admittitur, locus erit frigidior & siccior. Evidentius paulo hæc proponit Renat. Moreau l. all. membr. II. dum ait: Montes humiles (colles) non admodum mutant naturam locorum; alti vero nivosi sunt, atque quod notandum est, vel ad Aquilonem siti sunt, vel ad meridiem, vel ad orientem vel ad occidentem. Cum sunt ad Aquilonem positi, loci naturam calidam reddunt, quia reflexio radiorum Solarium ad illos montes calefacit illos montes vehementer, quo fit, ut vina generosa in parte meridionali locus ille producat. Cum montes plurimi sunt ad meridiem, & à septentrione flant venti, locus est valde frigidus, tam propter nives quam ventos, erit præterea siccus & sanus, nisi alia prohibeant accidentia. Montes in parte orientali positi, locum reddunt frigidum & humidum ejusque aerem crassum impurum & insalubrem. Frigidus quidem locus erit, quia rectus ab oriente, crassus vero aer tum quia vicinus montibus, tum quia ventis occidentalibus apertus est. Denique cum montes ad occidentem positi sunt, locus salubrior est, quod ventis affletur orientalibus.

§. XVI. In primis autem si sylvis ac nemoribus luxuriant montes è fagis præsertim & betulis atque arboribus ac fruticibus gummosis resinosis balsamicisque constantibus, sanitati incremento sunt maximo, partim, quod effluviis suis refragantibus atmosphæram insigniter temperant, partim ventorum quoque vehementiorum atque irregularium quorumcunque allisus infringunt; quod tamen

aliter

aliter contingit in locis declivibus palustribus ac cœnosis ; illic enim positæ sylvæ densæ arboribus proceris, quercubus potissimum, instructæ Solis & Lunæ radios à tellure arcunt, ac ex fundo humido vaporoso cœnosoque auram atmosphæricam spissam & suffocatam acrem, nebulosam ac turbidam quasi urbibus &c. (in plano præsertim) sibi adjacentibus communicant, hujusque motum & ventilationem, omni putredini foetori ac corruptioni alias adversum, impediunt.

§. XVII. *Fluvii tandem & torrentes ex montibus præsertim petrosi ac arenosi scaturientes locaque arenosa & saxea alluentes ac transeuntes atmosphæram vicinam tantisper agitando & humectando salubrem efficiunt, modo non consita sint loca palustria & lacustria, per quæ vehantur : hoc enim modo tetris exin vaporibus elevatis nocent, quotidiana experientia hoc abunde testante, & Varrone L. I. de re rust. C. XII. ex Avicenna & Rhasi id ipsum confirmante ; potissimum autem quo rapidioris decursus sunt flumina, eo salubriora habentur : audiamus hac de re differentem Cardanum L. II. *contrad. Flumina (inquit) velociter currentia aerem attenuant, faciuntque corpora tenuia macilentia mobilia ; &c. cœnosa vero & quæ tarde moventur, ut Padus, corpora minus valida reddunt & sana &c.* Nimirum : id commodi flumina rapidiora impertiuntur, ut sub vaporum specie elevatae particulae aquæ humectando infrigident quodammodo aeris mixti regionem, quo ipso ardentissimus Solis æstus æstivis temporibus mitigetur, & effluvia alia peregrina, tempore sicciore noxia & maligna sæpius, è poris aeris mediantibus dictis vaporibus, quibus combinantur, præcipitentur & quasi figantur, sicque immutata pereant, nec amplius noceant.*

§. XVIII. Prolata hæc generalia de aeris mixti variis affectionibus earumque causis faciliori jam temperamenti atmospheræ Hassiacæ examini ac cognitioni inservient : inprimis autem quod caliditatem frigiditatem humiditatem atque siccitatem hujus concernit, qualitates istæ temperatæ admodum ibidem sunt. Elucet hoc ipsum vel exinde, quod gravia ejusmodi corporis incommoda atque tyrannidem ex morbis non experiantur provinciæ istius possessores, qualem calidarum directis Solis radiis subjectarum regionum incolæ ab aere atmosphærico illic locorum intensius calido perferunt ;

adeo enim rapidos motus sulphureæ aliæque subtiliores & volatiliores aeris mixti partes ibidem à radiis Solaribus è Zenith missis concipiunt, ut sensui sint molestissimæ, & vitæ sustentandæ minus idoneæ. Perpetiuntur eapropter crebro & in atrociori gradu elephantiasin seu lepram, foedissimam & exedentem morbi speciem, de qua pauca tradidit è *Galeno Blancardus in Lexic. sub tit. luem Tartaream, choleram & dysenteriam malignam, morbum iliacum, ardentissimos caufos*, aliosque à bile oriundos affectus atrocissimos atque malignos; quin morbi pestilentes, in regione nostra temperata vix nisi contagione & rarius propagabiles, sub calidioribus hisce climatibus spontaneo ortu eveniunt, exemplo urbis *Ægypti maximæ, Alkair*, ubi quotannis grassantur. Illum vero saltem (majorem quamvis,) regionum calidarum & zonarum torridarum tractum afficiunt, qui *aquis & humido ferme destituitur ac squalet*: reliquæ namque (*fecundiores scilicet*;) eodem sub æquatore atque zonis torridis sitæ, *imbribus tamen ac fluminibus irriguæ regiones, montosæ præsertim*, benigna etiam utuntur atmosphæræ temperie, prouti supra indicavi; superant namque Americani, calidæ zonæ incolæ, vegeta senectute Nestoris ætatem; & insula S. Helenæ in mari Atlantico inter tropicos sita adeo est salubris, ut ægri moribundi pene & tantum non conclamati in terram ejus è navibus ex India redeuntibus expositi ilico convalescant; quæ salubritas in pluribus aliis zonæ hujus insulis animadvertitur, in quibus incolæ morbum nullum præter annosam senectutem norunt, ita, ut notabile sit, quod scribit *Bontius de Medic. Indorum: Indiam & insulas adjacentes nunquam peste tentari*. Qua sub limitatione forsitan etiam interpretandus est locus *Aristotelis* in libello, qui inscribitur *περὶ τῆς μακροβιωτικῆς*: quando eadem animalia in calidis locis diutius quam in frigidis vivere scribit.

§ XVIII. Neque percipiunt nostri atrocissimos illos morbos & neces à frigore oriundos, quos pati coguntur populi septentrionales, polo arctico, & meridionales, antarctico viciniore. Ibi enim tanta tamque gravissimæ cœli inclementioris incommoda sunt, ut flammulam vitæ præ immensi frigore incolumem subsistere vix sperare possis, cum notissimum sit, quod pluribus in *Sarmatia* extremitates membrorum algentium gangræna & sphacelo corruptæ misere decidant, ibidemque & in aliis consitis regionibus quotannis mul-



multi trahis vecti in itinere (etiam breviorē) extinguantur, rigentesque per jumenta vel alces (*Menuthiere*) in urbes deportentur. Refert *Jamesius tr. alleg. nonnullis sociorum suorum à nimia sub dio inter nives mora pustulas quasdam (phlyctenis non absimiles, quæ ab ambustione oriuntur,) adeo graves & difficiles accidisse, ut labori facti inutiles vix 14. dierum spatio sanati sint; & Pareus in Chir. Multis in nive aut glacie in regionibus, ubi frigus vehementer sævit, diu commorantibus partes extremas adeo mox in totum corrumpi, ut, si incauti ad ignem nimis propere accedant, eisdem priventur: quamprimum enim incalescunt, protinus quasi ferro abscissæ decidunt. Narra- rat porro *Xenophon in anabaseos L. VII. Nonnullos Græcorum, qui post reditum è Perside in Thracia meruerant, nares & aurium partes præ frigore vehementi amisisse; & Cornel. Tacitus in annal. Militi cuidam Romano exercitus illius, quem Corbulo adversus Parthos duxit, à lignatione in hyberna redeunti utrasque manus gelatas onerique hærentes simul avulsas esse. Recenset quoque *Mundius tr. sæpius alleg. C. V. §. 1. Sibi à Scoto generosa familiæ in regnis borealibus militante relatum esse: sub expeditione quadam plerisque militibus pedes & manus ex gelu adeo contractas fuisse, ut multi agre incedere, aliqui plane ne quidem ambulare vel arma tractare potuerint; quod malum Græcorum termino Malce is appellat. Taceo jam morbos internos plurimos, vilcera humores & spiritus infestantes, quorum primarii sunt spasmi, tetanus, apoplegia, paralysis, peripnevmonia, dyspnoea, colica, bulimus; istis in locis ab atmosphæræ supra modum frigidæ asperitate creberrimi & vehementissimi: à quibus incolæ regionis HASSIÆ rarius ac mitius longe afficiuntur: cum in hac hyemes sint longe tolerabiliores; atque aeris mixtura pro ratione partium anni in mediocritate temperaturæ veluti omnium qualitatum constituta cernatur: & licet tempestatum quoque vicissitudo adsit, moderatior tamen & sine ullo tali excessu atque tolerabilis semper animadvertitur.***

§. XX. Insignis præterea momenti res est, quod maxima regionis pars ventis salubribus affletur, *Sulfolano* potissimum ab ortu, ventorum saluberrimo, quem habet patentiorem, deinde & *Zephyro* seu *Favonio* ab occasu, æquinoctialibus; *Aquilonio* etiam à septentrione è loco ursæ majoris, non nimis frigidus, regioni nostræ propio-

re & salubritate Subsolano minime cedente: prædicantur siquidem ab Hippocr. L. de aere aq. & loc. in colæ regionum, quos venti frigidi & sicci afflant, diuturnioris vitæ quam alii; ex eo forsitan, quod externa illa frigiditate intro quasi cogeretur calor & augetur: quo fieret, ut nec congelari nec extingui possit, atque putredini maximo-pere resistat; (tum quia copiosus est, tum quia excrementitiorum humorum cumulationem inhibet.) His afflatibus loca præprimis editiora in singulare recreamen fruuntur, atmosphæraque istis ipsis egregie mundificatur & ventilatur. Et quamvis subinde etiam appulsam ventorum meridionalis austrini & occidentalium collateralium rarissime salubrium patiat, cohibetur tamen multum eorundem vis atque temperatur per loca montosa atque nemorosa, quibus Hassia abundat, hinc inde interjecta, ne tantopere noceant.

§. XXI. Positi sunt namque ad meridiem versus Franconiam, quam ab Hassia separant, & tractum Moeni, tantisper etiam ad orientem, montes Ptolomæo L. II. Geogr. C. II. Abnobii dicti, nunc de Spessart secundum Winckelm. Chronic. L. I. C. VI. p. 34. it Melibocus ad Zwingenbergam, simul versus occidentem se extendens, intra Hassiæ terminos situs, Germ. der Malchen - alius Spitz it. Sticckel - Berg; ad quem montem Hessonens seu Catti antiquitus habitantes juxta Rhenanum rer. Germ. L. I. p. 56. Cattimelibocenses dicti sunt, quorum Comitatus hodiernum adhuc hoc nomine celebris est. Determinat quasi hic mons Comitatum superiorem Cattimelibocensem à Palatinatu, Archiepiscopatu Moguntinensi, Franconia etiam, & ex parte sylva semana; in medio Francofurtum inter & Heidelbergam conspicendus. De hoc monte notat Topogr. Hassiæ Meriani p. 150. cum à decem aliorum montium cacuminibus sustineri & portari quasi, tantæque altitudinis esse, ut ab ipsius jugo summo decem Dominatum urbem oppida arces & pagi numero innumero conspici possint. A Rheno prope Monasterium Lorch / ut habet Dilichius in Chronic. Hass. p. m. 59. ex inferiori Comitatu Cattimelibocensi juxta Wisbaden per Wetteraviam in Hassiam usque protenditur mons sylvofus, qui Cornel. Tacito L. I. & XII. annal. Tannus; hodie de Feldberg oder die Höhe / ab altitudine insigni audit; tempore Caroli M. Heinrichia sylva dictus est, & pro portione Meliboci habetur; ad cujus latus deorsum versus alius mons quem den Hayrich vocant,

con-

conspicitur, quod nomen tamen simul toti *Tauno* impositum legitur. Ad latus *septentrionis* extant montes *Hassiae Obnobii* à vocula Saxonica *Oben ob* ita salutati, prope fines superioris & inferioris *Hassiae* deorsum ad Occidentem tendentes, *Sylvæ Hesperiae dem* (*Westerwald*) adjacentes, ex opposito *sylvæ semanæ* (*dem Oden-Wald*) & *Westphaliam* ab *Hassia* determinantes; cujus partem ad *Rhenum* constituit mons *Lurlejus* *Burley*/vinetis & eccho multiplicato clarus. Ad latus orientis in consinibus *Thuringiae* aliqui etiam, enumeratis tamen magnitudine multum cedentes montes versus *Hassiam* nostram deprehenduntur, quos quia plurimi & celebriores eorum extra territorium *Hassiacum* positi sunt, nostrum describere non est. Denominavit potiores *Merian. Topogr. p. 7.* Præter vero recensitos grandiores & celebriores magnus in regione hinc inde extantium montium (quorum plurimi portiones dictorum majorum sunt,) adhuc est numerus; eminet ex his (1) *avimons*, *der Bogelberg*/ in præfectura *Ulrichstein*/ quæ propterea *avimontana* cluet, longus, altus & frigidus, nivesque in *Majum* usque fovens, versus occidentem & meridiem potissimum directus; hunc ea de causa portionem *Tauni* *Winckelm.* l. cit. cum *Dilichio* æstimat. (2) Mons ad occidentem, milliari *Gießa* distans prope oppidum *Kinzbergam*, quem *den Dynsberg* vocant, (ex eo fortasse, quod vaporibus circa illum collectis tempestates significari soleant,) tantæ altitudinis, ut serena tempestate ultra 12. vel 15. milliaria usque ad *Melibocum* summa cum jucunditate prospectus in hoc extendi queat; montem istum descripsit oratione speciali *Conrad. Dieteric. Instit. orat. p. 64.* (3) Mons *Eischwigen*sis, quem *den Meißner*/ rectius *Weißener* (*montem album*) nuncupant, eapropter, quod sylvosus in longam æstatem nivibus obtegatur; uno milliari *Eischwiga*, (à *fraxinis Eschbäumen* cognominata,) haud procul à *Wald-Cappel* locatus, & maximus *Hassiae* inferioris mons est, è quo in aliquot Principatus & Dominatus ad multa milliaria prospectus patet; plura habet hinc inde promontoria, quorum celebrius ad urbem *Allendorffium* dicitur *die Hohesfürste*. (4) Mons alius ex altioribus unus ad *sylvam*, quam *accipitrinam* *den Habichtswald* nuncupant, situs, nomine *der Dörneberg* quasi dicas *Dürrenberg*/ quia undique calvus, & vegetabilibus atque arboribus orbatus est; aliam denominationis causam exhibet *Dilich. Chron. Hass. p. 140.* Ante montem

istum

istum in colle quodam spectatur rupes altissima & glabra, cujus suprema superficies aheni majoris instar aperta profundo specu aqua semper pleno gaudet. (5. & 6.) Ad urbem Schwartzbornam, versus septentrionem ad latus orientis (*Nord-Ostwärts*) sitam, ab utraque ejus parte locati *montes duo maximi*, quorum alter *der Knoll* dictus, alter *glacialis der Eißberg* à glacie, quæ prima æstate quandoque adhuc ibi reperitur, cognominatus est. (7) Milliari à Fagio (fagorum oppido, *Bach*) ob fagos illic in copia provenientes ita nominato) non procul à monte glaciali, mons insignis altitudinis *Taurus, der Ochsenberg* cum quo & glaciali mons grandis Fuldensis *der Dietersberg* triangulum format. (8) Ad pagum *Ellenbach* *mons* quidam præaltus, quem incolæ *juniperinum den Bacholderberg* vocitant, in cujus jugo plano lacus profunditatis ferme immensurabilis cernitur. (9) *Mons Altheimensis*, præfecturæ Rotenburgensis altissimus, ex quo plurimam Hassiæ pars conspici potest. (10) *Mons* in præfectura Smalcaldica à *carbonibus* *der Kohlenberg* denominatus, ad cujus radices copiosi adamantes, Bohemicos splendore & bonitate superantes, reperiuntur. (11. & 12.) *Montes bini* inter maximos Hassiæ collocati, quos *Lohr & Asch-Kopff* nuncupant. (13.) *Mons harrivus*, non procul ab his, germ. *rath Häer* qui ab occidente ad orientem usque ad dictos binos montes & principium fluminis *Worra* extensus dein incurvatus meridiem versus ad avimontem protenditur, tandemque cum his & Tauno unitus *Loganam* fluvium ambit. (14) Ad pagos *Wickerodam, Rommerodam, Kauffungam & groß Ulmeroden* *mons nomen à cervis nactus* *der Hirschberg*. (15) Non longe à *Gudensberga* ad pagos *Ritta & Pels* *mons* magnæ celsitudinis, cui nomen impositum *der Langenberg*; it. (16) *Alius* prope *Gudensbergam* priori confinis, *der Odenberg*. (17.) In præfectura *Hannock* *Mons* altus & rotundus, *der Stoppelsberg*; & (18) huic ex opposito jacens *mons* itidem altus & præceps, quem *den Gwestberg* vocant. (19.) In Dominatu *Ortenburgensi* *mons* excelsus *der Glauberg*. (20.) Iuxta Urbem *Spangenbergam* *mons* dictus *der Spängen* item *der Knorren-Berg* / in quo lapilli rotundi (trochitides,) ornamentum circulare, quod germ. *Spängen* audit, præsentantes, copiosi inveniuntur, de quibus curiosa conscripsit *Winckelmannus Chron. alleg. p. 269. 270.* item (21.) *alius* quem *den alten Burg-Berg* nominant. (22.) *Mons*

nemorosus ad Alsfeldiam sub nomine der Kommeroder Berg / qui 1200 jugera explet. (23) *Mons* alius, der Fahrensberg vocatus, non procul à monte calvo, n. 4. indicato, conspiciendus, in cuius jugo aliquo saxum excavatum deprehenditur, in quo tanquam in cellam introitus patet, mox vero præceps & profundum foramen putei instar à natura curiose ita formatum sese manifestat. (24) *Mons S. Cyriaci* cui Eischwiga inædificata est. (25) *Mons* quem den Badestein dicunt, versus Witzenhufam, ex arbore taxo celebris. (26. & 27.) *Montes* duo der Stauffenberg & Garmberg / nemorosi & portiones sylvæ, dictæ Reinhartswald / versus *Visurgim* & *Fuldam* fluvios. (28.) *Mons* alius ad oppidum Zierenbergam, cui ab urfis nomen imposuerunt, & der Bähren Berg dicitur. (29) In præfectura Blanckensteiniana der Kirchberg. (30) *Gosus* der Gögberg vel Gosberg / ad Franckenbergam, vinetis abundans. (31) Ex opposito urbis Drivordix ad amnem Verram *mons* altus & præruptus der Helstein. (32) In præfectura Smalcaldensi der Insul-Berg; ibidem (33) die bloesse Laube / uterque altus & media æstate adhuc nivosus. (34) In præfectura Mellungenensi der Erlesberg. (35) Der Mosenberg non procul ab arce Falckenberg ad planitiem altam, quam die Wolffsplatte dicunt. (36) *Mons* versus prædium Faram trans Fuldam der Wildsberg / (37. 38. & 39.) *Montes* tres circa Hersfeldium quos den Peters - Johannis - & Frauen Berg vocitant. (40) In præfectura Friedewaldensi der Dreyenberg. (41) *Mons* ad Rauschenbergam im Burgwald / der Castors-Berg ab idolo Castore nuncupatus, qui postea tempore Caroli M. à Christo cognominatus est der Christen Berg vid. *Specul. Histor.* (42. & 43.) In Dominatu Eichfeldensi montes bini der Gohburg & portio montis Thuringici des Hohebergs. (44) *Mons* Olivarum der Delberg / cui ars Schauenburgica inædificata est. (45) In confiniis Waldeccensibus *mons* Keller. (46) *Mons* custodiæ den Hüttenberg in Wetteravia (47) Oblivioni minime tradendus supra Germerodam situs à carbonibus fossilibus der Steinföhlen Berg nuncupatus, qui ex relatione *Topographi Meriani* superiore seculo ob copiam sulphuris aliquando accensus per aliquod tempus & adhuc anno 55. imo, quantum ego recordor, ante paucos annos denuo arsit. Taceo jam montes & colles viliores, item anonymos, innumerabiles pene, quales sunt 7. ad oppidum Bie-

dencap, &c. Ut proinde germanicum *Hessen* non inepte derivatum videatur ab *Höhensafen* / quoniam in alto Hessi habitant. Conf. *Cluverius antiq. germ. L. II. C. 19. & L. III. C. 5.* Hanc regionis altitudinem *Tacitus* quoque *de moribus Germ. C. XXX.* animadvertit: *Quando Cattos editiorem regionem præ aliis germanorum populis, (Westphalis v. g.) tractu longo possidere* scribit.

§. XXII. Singuli hi montes, paucissimis exceptis, vel per totum sui tractum vel ex parte *sylvæ ac saltibus* instructi sunt fertilissimis & amoenissimis; qualibus pluribus aliis universa *Hessorum* regio, inferior præsertim ejus Principatus, hinc inde gaudet. Celebriores saltuum certis nominibus insignitorum sunt sequentes: Primus, quem dicunt *Sylvam Semanam* *den Oden*, vel *Oster Wald* / falso à *Job. Francisco Ripensi* ottonicam appellatam; Hunc saltum ex mente *Taciti l. all. & Pomponii Mela L. III. de Germ.* non ineptè partem *Hercyniæ sylvæ*, seu juxta *Jul. Cesar. L. VI. de bell. Gall.* *erycini montis* dixeris, accurate hoc demonstrante *Winckelm. Chron. alleg. P. I. C. VIII.* *Franconiam* inter & comitatum *Cattimelibocensem* locatum. Idus ab hoc est, quem *sylvam Hesperiam montium Obnobiorum* *den Westerwald* cognominant, ad occidentem *Westphaliam* versus & *Visurgim* extans, cujus, si rectè meminero, pars aliqua ad *Hasiam nostram* spectat. Illum pono *Saltum Reinhardinum* *den Reinhardts-Wald* / inferioris Principatus, septentrionem versus prope *Ducatum Brunovicensem* situm, qui circa oppida *Immenhausen* & *Grebenstein* incipit, latitudineque sua duo ferme milliaria complet, ac secundum tractum fluminis *Fuldæ* & *Visurgis* *Munitium* seu *Mundam* versus ad 4. leucas in longum extenditur. IVtum dicunt *den Sublings Wald* / collibus variis instructum & maximum in inferiore *Hasiæ* Principatu: à *Fulda* namque fluvio è regione meridionali suburbibus *Hersfeldia* & *Breitenbach* versus oppidum *Heringen* ad fluvium *Wierram* usque per tria milliaria in longum, & in præfectura *Rottenburgensi* ut plurimum unum milliare in latum protenditur, terrasque *Thuringiæ* tangit; hunc æque pro parte *Hercyniæ sylvæ* venditat *laud. Winckelm. loc. all.* alterum ejus dimidium ad *Fuldam* alterum ad *Vierram* in vallem desinit. Vtus saltuum nominatur *der Abtswald* vel *Brandhorst* / altus & frigidus, cujus principium ad scaturiginem fluminis *Schwalmanæ* in præfectura *Avimontana* est.

VIus & VIIus circa urbem Alsfeld situm nacti sunt, quorum alter der Homburg nuncupatus 2000 jugera, alter der Steinforst dictus 600 jugera complent. (Tertius his adjacens est mons sylvofus der Rommeroder Berg/de quo præc. S. n. 22. inter montes actum. VIIIus est Saltus quidam Principatus Hersfeldensis ad arcem Landeck / quem den Landecker Berg vocitant, unde & montibus annumerari posset. IXus cluet der Kauffunger Wald / qui initium nactus prope urbem Witzenhufam usque ad Kauffungam & fines ditionis Brunovicensis producitur. Xus ab accipitribus dicitur der Habichts Wald/saltus altissimus, Monasterio Burghasungen ex adverso positus; incipit ab uno latere arcis amœnæ Weissenstein / tenditque quasi per circum(montem longum den langen Berg varios pagos vicos & oppida adeundo) rursus ex altero latere ad eandem arcem. XIus è maximis unus, qui audit der Soer oder Nied Forst seu Horst / inter urbem celeberrimam Casselium & vicum Kauffungam; hic dimidia sui portione duas præfecturas Spangenbergensem & Milsungensem tangit. XIIus haud procul à Nidda situs die Harb vocatur. XIIIus extat in præfectura Alsfeld / magnus admodum & è præstantioribus unus, ab altitudine der Hochwald dictus, muro cinctus. XIV. & XVus apud Grünbergam der Neue Hoff & der Brand. XVIus prope Marpurgum der Burgwald / saltus prolixus & aliquot milliaria longus. XVIIus ad Rauschenbergam conspicitur, die Hohewart nominatus; cui XVIIIus proximus est, ex abietibus clarus der Tannen-Wald. XIXus positus est penes Battenbergā, nomine die breite Struth. XXus apud oppidum Biedencap der Mertens Wald cum aliis collibus sylvofis pluribus. XXIus Saltus decantatus admodum ad oppidum Stauffenbergam, à foro boario quondam illic constituto der Ruhmarck nuncupatus. XXIIus ad urbem Spangenbergam, [quem. & inter montes collocare liceret,] sub titulo die Silberkaute. XXIIIus ad urbem Milsungam sub nomine des Schönbergs clarus. XXIVus Principatus inferioris in præfectura Felsburgensi versus Frizariam, ubi in planitie constitutus die Elbschelhölzer / versus vero Milsungam ac Homburgum, ubi montosus, der Quiller / Beuerholz/ und Harlen Berg vocatur. XXVus in Principatu ad Lanum prope Franckenbergam, trans Visurgim secundum longitudinem iujus fluminis extensus, cui nomen der Gohling impositum est; quem ab aurifodinis illic seculo decimo jam notis montem aureum

den Murer, Muler, oder Gold, Wald dixerunt; montibus eapropter etiam annumerandum.) XXVIus circa præfecturam Drivordianam saltus prolixus der Heinsch. XXVIIus in præfectura Lichtenaviensi der Nohe, Berg. XXVIIIus die Rehmeler, Heide ad oppidum Rehmel. XXIXus der Ober, Noßbacher Bau, Wald. XXXus der Neuburg in Dominatu Wetteraviæ Epsteinensi. Saltibus & sylvis hisce celebrioribus non immerito junxeris sylvas alias v. g. den Ellenbacher, Forst in præfectura Rottenburgensi; den Triefzer, Forst in der Bogthey Herren, Breitungem; *sylvam nobilem* ad arcem montanam Pless, orientem versus in declivi planitie sitam, ad cujus sicuti & Boyneburgensis arcis montes arborum taxorum, alias rariorum, magnus est proventus; præterea egregiam *fagorum* sylvam montanam den Buchwald in præfectura Gleichenensi; *sylvas* tandem *abietinas* in inferiore Principatu in præfectura Rotenberg am Mildecker, Forst / item auff der Trotten und Baumbacher, Gehölze; & in superiori comitatu Cattermelibocensi, ubi aliquot earum reperias; *sylvas* item *anonymas* Principatus Hersfeldensis & Comitatus Ziegenhaynensis, præfecturarum Hombergensis & Smalcaldensis, quarum posterior pluribus gaudet, in primis ad utrumque fluminis Fuldæ latus easdem copiosas cernas: taceo jam sylvas saltusque particulares & minores, urbibus oppidis & pagis hinc inde vicinos eisque proprios, quorum omnium mentionem facere prolixum foret; sunt è numero horum die Rehbücke ad Lippoldisbergam. Evolvi potest circa montes & sylvas Hassiæ *Cosmogr. Raven C. XIV. p. 408. seq. & Chronographi supra alleg.*

§. XXIII. Relati montes & saltus sylvæque memorata varii generis arboribus exornati sunt: præter enim arbores communes & cæduas tiliis etiam, aceribus, fraxinis, populis, sorbis, aliisque pluribus; *frugiferis* item, in locis potissimum vinetorum & hortorum, ad radices montium hinc inde copiose & cum diligentia constructorum, castaneis nempe, nucibus, pyris, pomis, prunis, cerasis, aliisque innumerabilibus; præterea etiam *fruticibus*, juniperi præprimis, sambuci, dictamni, rosarum sylvestrium, &c. copiosissimis, & herbis floribusque balsamicis refragantissimis permultis superbiunt, montes præsertim majores, quorum juga pratis passim prolixissimis abundant: reperiuntur namque ibidem copiose carvum, origanum



horminum, hyssopus, lil. convallium, hepatica nobilis, sideritis, pulegium, polium montanum, caryophyllata, serpillum, caryophyllus montan. angelica, scorzonera, coronopus, iva arthetica, solidago sarracenicæ, aconitum pardalianches, damasonium nothum, uva inversa Dodon. chamædris vera, asarum, genipella, lunaria minor, lotus, melilotus, millefolium, tanacetum, scabiosa, stoechas citrina, viola, pluresque herbæ odoratæ ac balsamicæ aliæ à D. *Dieterico Tabernemontano* in herbario diligenter hinc inde descriptæ.

§. XXIV. Inter hos montes, & sylvas elegantia quoque in vallibus extant præta & loca campestria in longum & latum diffusa, sicciora, paludibus expertia, quin fluviiis majoribus, torrentibus & rivis limpidis è montium cavernis & cryptis atque arenis scaturientibus, & ad radices illorum hinc inde per totam regionem & confinia ejus, in fundo ut plurimum arenoso & petroso, defluentibus irrigata.

§. XXV. Primas tenent inter hos majores duo, *Rhenus* & *Mænus*, quorum prior ab aquæ puritate *Rhein* dictus superiorem & inferiorem Comitatum Cattimelibocensem alluit, & ex altissimo Helvetiorum monte *Adula* (ita eundem vocitat *Strabo*, *Ptolomeus* & alii) germ. *S. Gottharts Berg* scaturit; posterior *Mænus* (*Mayn*) *Ptolomeo* L. III. *Geogr. C. 9. Obringa* ab aliis *Mogantum* nominatus *Wetteraviam* adit, & in celeberrimo monte pinnifero *Variscia*, *Sichtelberg* im *Boygtlande* / scaturiginem suam nactus est. Ab his in superiore Principatu celebrior est fluvius, quem *Dietericus* instit. *Orat. p. m. 61. Lanum*, *Cæsarius* & *Heisterbachius*, item *Freherus* origin. *Palatinar. P. II. C. 6. Loganum* seu *Loganam* item *Logonam*, aliqui *Loynam* (*Löhn*) nuncupant; è radice montis *Harii* *Noethhaer* / jactu lapidis à fonte, quem dicunt *auff dem neuen Ohr* / ad *Wittgensteini-um* in sylva *Hesperia* orientem versus scaturiens, & 30. rivis auctus, (quatuor potissimum principalioribus, quos Germani vocant *Ohm* *Dill* *Elß* & *Nahr* /) *Hassiam* superiorem nobilioraque ejus loca adit: hunc *Christoph. Browerus* p. 181. *amœnissimis utrinque ripis collium & rupium alicubi surgentium asperitate ad pulchritudinis & variantis nature temperamentum interpolatum*, & *Venant. Honor. Fortunat. L. VII. carm. 7. Laugona vitreas* i. e. purissimas esse aquas, scribunt. Super hoc flumine 1617. à 15. usque 17. Octobr. ad urbem *Marpurgum* *Chimera* seu monstrum comparuit, quod *Olaus Wormius*

monument. *Danic. fol. 17.* Dæmonem seu spectrum aquaticum, vulgo dictum *Wasser Nix* fuisse judicat. Proximus ab hoc est *Nidda*, (*Nidda*) urbem *Niddam* in Comitatu *Nidda* alluens, à quo flumine hic nomen acquisivit; Oritur in avimonte *Bogelsberg* &c. Fluvium hunc excipit *Ohma*, *Nicol. Asclepio Ohmum, Serario L. III. rer. Mogunt. notit. 27. p. 496. Amana, Ohm*; scaturit è fonte ad radices montis præcitati juxta pagum *Ober Ohmen*/ præterfluit in amœno prato urbem *Homburgum*, quæ propterea *Homburg an der Ohm* vocitatur. Inferior quoque *HASSIÆ* Principatus plurimis præditus est fluminibus è quibus hæcenus inclaruerunt quinque. Primum & nobilius atque aurifluum est *Aderna* seu *Adera*, *Tacito L. I. annal. Adrana* die *Eder*; originem ducit è Comitum *Wittgensteiniorum* ditione, haud procul à scaturigine *Loganæ*, præterfluendo varias urbes, pagos, veteres item aurifodinas, *Dominatum Itter* &c. allabitur. Proximum dignitate flumen ab hoc est *Fulda* (*Fulde*) è ditionis *Fuldensis* promontorio aliquo, milliaribus duobus supra urbem *Fuldam* in *Buchonia* (*Buchen*) ortum ducens; fertur per Principatum *Hersfeldensem* diversa oppida adiens; prope Metropolim *Cassili-um Anam* (*Ahne*) & *Trusillam* (*Trusel* vel *Drausel*) (à *Druso* nominatam,) utramque è saltu, quem *Habichts Wald* dicunt, proficientem, recipit. (Quomodo flumen istud mortem Principum *Hasliacorum* indicet, videre est apud *Winckelm. loc. all.*) Hunc amnem excipit *Vierra* seu *Werra* item *Guerra* (*Werra*) quam *Visurgim* (*Weser*) esse acute satis evincit *Winckelm. eod. loc. p. 59. seq.* quod nomen tamen proprie ad urbem *Luneburgensem* *Mundam* cum flumine *Fulda* unita acquirit; profluit illa è Principalis dignitatis Comitatu *Hennebergico* in *Franconia* non procul à *Schleusinga* ad *Bacenum* sylvam *Thüringer Wald*/ dirigitque cursum suum sub oppido *Werra* ad diversas urbes *Hassia*. Quartum locum occupabit *Diemela*, (*Diemel*) ortum trahens è purissima jugi acuti montis cujusdam Comitatus *Waldeccensis* juxta *Coloniensem* Ducatum *Westphaliam*, alluendoque inferiorem *Hassia* Principatum hunc ab *Episcopatu Paderbornensi* separans; ad istius fluminis terminum, ubi *Visurgim* intrat, haud procul à confiniis Ducatus *Brunovicensis* & *Lüneburgensis* emporium & urbem celebrem ædificari hæcenus curavit Serenissimus ac Potentissimus Princeps **CAROLUS**, **HASSIÆ LANDGRAVIUS** &c. &c. Domi-

nus meus Clementissimus, in cujus extructionis memoriam *Carolo-Diemela* appellata est. Ultimum tandem fluminum celebriorum est *Schwalmus*. à *Nicol. Asclep. Barbato squalmus*, in donationibus *Fuldens. Swalmana*, (*Schwalm*) nuncupatus; scaturit hoc in promontorio aliquo avimontis in sylva, quæ *Stessen-Borner*- seu *Abtswald* audit; miscentur ipsi ad oppidum *Alsfieldiam Iffa* (*Eisse*) & *Berfa* (*Berffi*) torrentes duo majores, quibus cum junctum comitatum *Ziegenhaynensem* permeat. His annumerari merito debet *Wobra* (*Wobre*) originem ducens è radice cervorum montis; in præfectura *Lichtenaviensi* ad pagum *Rommèrodam* ex opposito montis albi; augmentatur hinc inde variis rivulis, inferioremque Principatum transfluit.

§. XXV. Amnium reliquorum minorum ac viliorum; torrentium, rivorumque *Hassie* ingens adhuc est numerus; Amnium præcipui sunt *Amaso Amisia* aliquibus sed falso *Amasia*, [vid. *Dilich. Chron. p. 31. & Zeileri itiner. P. I. p. 362.*] (*Emß*) circa montem longum non procul à *Kirchberga* profiliens; *Ulstra* (*Unster* vel *Ulster*) amnis præceps & periculosus, oriundus ad montem *Taunum* & glaciale; *Arda* (*Urde*) *Wettera* (*Wetter*) per *Wetteraviã* defluens, unde nomen hæc acquisivit; (alluunt *Wetteraviã* præterea quoque *Kinciga* (*Kink*) *Niddera* (*Nidder*) *Ufa*, (*Ufe*) aliique rivi plures; *Hauna* [*Hau-ne*] ad oppidum *Hauneck* in *Episcopatu Hersfeldensi*; *Gespen-tia* [*Gerspenß*]; *Lossa* [*Losse*] juxta *Lichtenaviã* ex aquis diversorum fontium, & piscinarum enata; *Leina* [*Leine*] *Warma* [*Warme*] *Bauna* [*Baune*]; quorum amnium posteriores duo è fonte sylvæ, cujus nomen ab accipitre est, scaturiunt; *Essa* [*Esse*] & *Leupa* [*Leipe*] *Ittera* [*Itter*] ad urbem *Itteram* unde hæc nomen indepta est; *Effza* [*Effze*] è montibus *Rottenburgensibus* prorumpens; *Frida* (*Fride*) præfecturam *Wanfriden-tem* percurrens, ortum hæc nata est in ditione *Eichsfeldensi*, (*auff den Eichsfelde*;) *Geysa* (*Geyse*) in *Principatu Herolfesfeldensi*; flumen anonymum ad urbem *Treburium* in *Comitatu Cattimelibocensi*, è quo navigiis in *Rhenum* trajiciunt. E torrentibus & rivis potiores sunt, quos in vernacula nostra exprimunt, *die Bink* / *Wahlbach* / *Hirsaler Bach* / *Schmalkalde* / ad urbem *Smalcal-liam*, unde huic nomen: scaturit haud procul à monte nominato *Zn-ub-Berg*; *die Glens* & *Nies* / in sylva *Kauffungorum* exoriens;

die

die Garda/ Bever/ Gelfter/ *Sontra*, cursum suum per oppidum *Sontram* dirigens ; die Pfeiffe/ Brenff / in comitatu Ziegenhaynensi ; die Schliß/ ad *Silitiam* seu *Slitissam*, oppidum in Buchonia , unde hoc nomen sortitum est ; die Lomda unde Allendorff an der Lomda ; die Sulß/ Freysa/ Fonna/ Bibra, oriunda ex avimonte ; ulterius die Schwarz, Bier-Rupfer, Nieder & Linder, Bach/ quorum quatuor postremi è jugo montis albi profiliunt ; item rivus ad *Willenhusam* & alius in Dominatu Pleß / inter pagos Edigehaussen & Angerstein/ è fonte aliquo arenoso cum aquarum impetu exiliens , quem Mariensprunge vocant ; Sex vel 7. rivi ad radices montis *Garns Bergs* oriundi , & in sylvam Reinhardinam se diffundentes ; pluresque alii, præfecturas potissimum Milsungensem Wolffhagensem & Rottenburgensem, item oppidum *Schwalbacum*, quod undique rivis cinctum est, alluentes.

§. XXVI. Isthanc montium saltuum ac sylvarum fluminum torrentium rivorumque enumerationem , quantum quidem fieri potuit, ea de causa necessariam duxi: quoniam pauca in regione *Hassiacæ* reperias loca, quæ non in montibus istis, vel ad horum latera , aut radices, simul prope sylvas, & aquas fluviales, sita reperiantur : nullum vero ferme, cui vel unico horum saltim, loco videlicet editiore, vel sylvæ, vel aqua fluente, non prospectum sit. *Præcipua* triplici hoc naturæ situsque (montium pata sylvarum fluminumque) beneficio cum emolumento sanitatis singulari utentia loca præter hinc inde in *Sis* superioribus jam enumerata sunt Metropolis Principatus inferioris & sedes SERENISSIMI ac POTENTISSIMI PRINCIPIS CAROLI, LANDGRAVII HASSIÆ &c. &c. Domini mei Clementissimi, *Cassilium*, cujus delineationem accuratissimam exhibet *Winckelm.*, *Chron. alleg. L. II. c. 10. p. 273.* *Marpurgum*, *Alsfeldia*, *Amasia* (Emß/) *Eischwiga*, *Goarium* (S. Goar/) *Renofelda* (Rheinfelß/) *Husnia* [Gewershaussen & Raß/] *Smalcaldia*, *Stauffenbergæ*, *Sabbaburgum*, *Zwingenbergæ*, *Umstadium*, *Hatzfeldia*, *Ittera*, dulcis mea patria *Spangenbergæ*, *Melsungum*, *Rosbachium* *Wetteravia*, deinde arces *Ulrichstein/ Gleichen/ Ludwigstein/* & urbes ac oppida &c. alia plura, quorum omnium enumeratio tædiosa foret : expressit illa *Dilichius* & *Winckelm.* in *Chronicis* passim. *Schwalbacum* speciatim hic attendendum, cujus tum atmospheræ tum soli benignitatem ad

ad stuporem ferme descripsit *Merian Topogr. Hassia p. 122. seqq.*

§. XXVII. Cum itaque nihil plane, quod ad bene esse *regionis nostrae*, præprimis autem *atmosphære* ejusdem, facere possit, deficiat; quis quæso de salubritate ejus dubitare aufit? Adest enim ut paucis, quæ præcesserunt, repetam, ibidem *positus astrorum benignus*, dehinc *Clima optimum*, quippe à temperatissimo proximum; *afflatus ventorum salubrium*, *Subsolani* nimirum liberior, & *Aquilonaris* propior: regio siquidem orienti hinc inde patet, & septentrionem versus inter tropicum cancri & polum arcticum sita est, à *ventis vero meridionalibus* montibus altioribus satis *protecta*; est de cætero in visceribus suis variis in locis montosa; terraque maximam partem petroso-arenosa, argillacea, ac ubique fere metallifera abundat, solerter hoc demonstrante *Winckelmanno tr. all. c. 6. p. 29. seqq.* cujus exhalationes ascendentes leves admodum sunt, puræ & siccæ; gaudet salibus & sylvis pluribus editioribus versus meridiem potissimum ac occasum squalorem aultrinum sustinentibus & suffocantibus, aliquibus etiam septentrionem & orientem versus erectis ventorum impetum temperantibus; 2. plurimæ urbes oppida arces atque pagi maxime orientem vel septentrionem spectant, & in montibus mediocriter elatis, vel ad latera aut radices montium excelsiorum, ad flumina limpida, particulas humidas leves & puras emittentia, exstructa cernuntur. Quid, quod tota *regio* ob *arborum fruticum ac herbarum refragantissimarum* supra §. 23. potiorem partem enumeratarum ubertatem effluviis sulphureo-balsamicis copiosissimis *atmosphæram* singulari suaveolentia afficientibus ac depurantibus, referta sit: quapropter rariores quoque inibi sunt morbi ex putredine oriundi, maligni, pestes; nec si forte aliunde illuc transferantur, diu durantes *Chronographis Hassia* id abunde testantibus, utpote per integrum seculum unius tantum vel alterius contagii pestilentis mitioris & brevioris ac particularis magis mentionem injicientibus, dum interea alibi locorum, *aere mixto insalubriore* utentium, multoties horribilibus cædibus grassatum est; exemplum exhibet *Lipsia*, ab Anno 1597. usque 1681. primo præsertim seculi d. medio toties, peitem passa, ut 11000. pene homines consumti sint, schedula funerali illius urbis id probante.

§. XXIIIX. Fruitur ergo *Regio Hassiaca atmosphaera ex humido potissimum & sicco* i. e. partibus nitrosis humidis & sulphureis siccis, (quas huic inexistere *Mundius* sæpe cit. tr. C. i. §. 4. ex experientia defendit,) *temperata, puriore ac defecatiore, mediocriter tenui, sanguinem mirum quantum, motum illius intestinum naturalem & spiritus ascensionem blande promovendo, reficiente, viresque ipsius efficaciter conservante, hocque pacto transpirationem simul juvante.* Laudabile hinc quoque *Hessorum temperamentum* est, quippe in sanis ut plurimum sanguineum aliquali phlegmate permixtum homines bene coloratos ac robustos moribusque jucundos sistit.

§. XXIX. Ejusmodi aeris puritatem & salubritatem *Marpurgo* speciatim tribuit *Winckelmannus Chron. P. I. C. 3. p. 12. col. 1.* cui interim contrarius est *Dietericus in Fatreo p. 1412.* ex *Doctoris Danielis Horstii* manu ductione; *montanam Marpurgum pluries, quam depressitu & in ipso luto quasi jacentem Giessam* morbis pestilentibus vexatam scribens: & hoc exinde, quoniam circa *Marpurgum* montes montibus collesque collibus per flexuosa intervalla obscurarum vallium jungerentur, sicque sæpius mephytis exhalationum urbem incommodaret. Verum ut libenter concedatur, nullum terræ tractum adeo salubrem esse, cui non aliquid, licet levioris vitii vel insalubritatis adhæreat, (id quod de regionis nostræ locis quibusdam alienum non dixerim:) nihilominus tamen cum (1) *Marpurgum* ad *Loganam*, flumen inter saxa & arenas velocius decurrens limpidissimum, situm sit; (2) ipsius valles latiores & siccæ; atque (3) montes *fruticibus ac herbis odoriferis arboribusque fructiferis* magno numero in *pomariis* (undiquaque circa urbem copiose constructis,) supra modum scateant; unde (4) vix possibile sit per naturam illius soli faxei & atmosphæræ humido-nitrosa & balsamica effluvia spirantis mephytim exhalationum exoriri posse, quin potius aliunde per ventos meridionales, quibus à latere objecta quodammodo est urbs, miasmata maligna asportari; & (5) *Circumstantiarum potiorum*, quarum nempe urbium dictarum morbis talismodi malignis vel pestilentibus, sicubi alterutram earum invaserunt, atrocius infecta sit, & in qua citius etiam cessaverint, nulla facta sit mentio, quod tamen ad cognoscendam unius præ altera salubritatem summopere observandum fuisset; in hoc vero passu ipsa terræ *Marpurgensis* natura &

constitutio pro salubritate ejus pugnet ; nullus dubito à partibus *Winckelmanni* stare & salubrem *mixture aeris Marpurgici* conditionem , tum per se quam intuitu *Giesse* pronunciare , apprime cum maxima sui parte ad marginem elatiorem montis urbs sita sit.

§.XXX. Experimenta quidem aliqua circa *atmosphera Hassiaca* gravitatem, elasticitatem, aliasque ejusdem qualitates, & affectiones instituire ampliores etiam magisque specialem situs locorum præcipuorum descriptionem, quomodo nimirum ad montes, ventos, sylvas, flumina, mundi plagas, &c. jaceant, qualisque sit cujusvis *atmosphera* vernacula constitutio, subjungere fas fuisset: cum tamen occasio hæc in ista inquirendi defecerit, commodiori tempore tentamina hæc reservantur. Sufficit ex ubique obviis & perceptibilibus causis salubritatem horum omnium quoad possibile, generalius quamvis paulo, demonstrasse. Legi interim circa materiam ponderationis aeris mixti meretur de *Lanis Magist. Nat. & artis tom. 2. L. VI. artif. 34. seqq. à p. 283. usque 290.* cui apte junxeris *Celeb. nostri Hoffmanni observat. Barometricas.*

## CAP. IV.

De,

### ALIMENTIS HASSIÆ SALUBRIBUS EORUMQUE CAUSIS AMOSPHERÆ POTIS- SIMUM IN HÆC EFFICACIA.

§. I.

**D**educta in prioribus *atmosphera Hassiaca* salubritas in alimenta ejusdem Regionis quoque eadem salubria efficiendo redundat, tam esculenta quam potulenta, è *vegetalibus animalibus & aquis* desumenda: insalubrem quippe aeris mixtionem quamecunque insalubrium, salubrem autem salubrium alimentorum causam existere, neminem ambigere credo, qui vel istud solum ponderaverit; nullam prorsus in hoc universo terrarum orbe existere materiam vel naturalem vel artificialem, vel simplicem vel compositam, vel duram vel mollem, &c. cujus substantiam *aer mixtus* non feriat, ita, ut per experientiam condocesiamus, ipsas etiam *ce-revisas* sub coctionis & fermentationis actu nec ab ingredientibus

nec à tractationis modo, sed profecto ab atmosphæra cuilibet loco propria saporem & odorem specificum quendam ac virtutem etiam peculiarem contrahere, rectissime hoc animadvertente *Excell. Hoffmanno in diss. de peregr. sanit. caus. instit. C. III. §. 6. p. 24.* novi enim exempla translatorum de loco in locum omnium ingredientium, polentæ, lupuli, aquæ &c. instrumentorum item & vasorum, ahenorum, in quibus alias coqui cerevisia consuevit, lignorum comburendorum, laterum, lapidum, limi pro construendo furno, & quæ alia nominari possunt, perfecerunt opus coctionis iidem artifices, qui in loco priorè: nihilominus non illius, unde hæc allata, sed alterius, ubi coctionis actus celebratus est, loci cerevisia & odore & sapore emerfit; id quod etiam circa pisturam panum diversorum locorum obtigisse, relationes ferunt. *Vinorum* itidem dulcium ac acidorum progeniem variam non solo tantum sicciori sed *atmosphæra* quoque *plus minus calida & sicca* tribuendam esse vel hoc unicum evincit: quod, quo propius vinetorum loca & regiones ad tropicum cancri & æquinoctialem accedunt, eo etiam dulciora & generosiora procreantur vina, qualia sunt Hungarica, Gallica, Italica; Hispanica &c. quorum tamen dulcedo pro diversitate propinquitatis ad dictum tropicum & ipsa differt.

§. II. Quo itaque *atmosphæra est temperatior levior purior defacatior & ab effluviis sanitati officientibus remotior*, eo etiam commixtio & contactus ejus cum substantiis corporeis est salubrior, sive in aquis sive in visceribus aut superficie terræ is celebretur; qualem concursum salubrem cum alimentis quoque nostræ Regionis fieri, neminem dubitare putem. Etenim *vegetabilia alimentosa*, quæ terra Hassiaca hinc inde copiosa profert, radices puta, bulbos, fungos, tubera, olera, herbas, folia, flores, caules, semina, fruges, grana, legumina, baccas, fructus arborum, fruticum, herbarum oleracearum &c. quod concernit, proveniunt ea è solo tum montano saxeo arenoso, tum plerumque argillaceo pingui, atmosphæra tamen tenui levi, ex humido & sicco temperata, quæve effluviis uliginosorum cœnosorum palustrium foetidorum humentium nimis & fervidorum expers est, referto ac perflato. Reperitur terra talismodi vegetabilium esculentorum fertilissima *aere mixto temperato aprico atque salubriore* utens in *Principatu Hersfeldensi, utroque Comitatu Cattimelibocensi,*



*Wetteravia, Dominatibus Franckenstein & Pless, in præfecturis Casselana Felsburgensi, Grebensteiniana, Homburgensi, Rottenburgensi, circa monasteria Cornberg Heyna Heckelem & Steina ad oppida Biedencopiam, Eischwigam, Gismarum, Gudensbergam, Sontram, Schwalbacum, Witzenhusam*; sunt enim agri horti viridaria prata locaque campestria alia districtuum horum tantisper elata ac sublimia, & quæ longiori terrarum fastigio latenter assurgunt ac exporriguntur, plana etiam quædam, minus tamen paludosa; unde quæ hic crescunt grana & frumenta, lolii semine, nigella &c. rarissime inquinata teneriora minusque viscosa existunt. Patet hinc, quantum sanitati intersit, quæ atmosphæra quove solo vegetabilia, frumentacea potissimum, proveniant, macrone an pingui, humido an uliginoso, an sicco ac liberius perflato, &c. plane enim vitia *aure atmospherice ipsiusque soli* frumentum secum defert, ex quo vel sincerum vel zizania mistum, vel aridum nimis aut tenue, vacuum, aut pingui nimis humore densatum, cortice furfurisque parte plurimâ farinae exigua constans &c. protruditur.

§. III. Ob hanc *atmosphære solique salubritatem* frumentis communicatam *panes* in Hassia pinsuntur *optimi*: primas inter hos tenet *Schwalbacensis*, qui adeo lautus tamque salubris est, ut ad aliquot milliaria dono mitti soleat: quanquam aquis etiam regionis limpidissimis levibus salientibus ac spirituascentibus quasi, hinc fermentationi massæ panis aptioribus, (cujus virtutis & efficaciam æque ab atmosphæra puriore ac tenui ejusque sale aereo-volatili intersperso bonam partem participes fiunt,) id beneficii simul acceptum ferendum sit: quod panes suaviores longe, leviores ac spongiosi ibidem pinsantur, qui & leviter alant, & obstructions viscerum ac alvi nullas creent. Magnum vero esse momentum aquarum laudabilium in conficiendo pane salubri demonstrat luculenter post experientiam *Ren. Moreau tr. supr. all. S. II. C. 17. p. 273.* quando pistorum pagi Gonetiani præ pistoribus urbis Parisinæ, aliquot saltummodo milliariis ab illo distantis, ex eodem tritico ob aquas Gonetii puriores & meliores panem & suaviorem & salubriorem pinsere refert.

§. IV. Isti panum Hassiacorum salubritati opitulantur insimul *lapides* regionis illius *molares* durissimi & saxei, multum ad puritatem & levitatem farinae conferentes; dum è contra *molliores & teneriores,*

uti *Bruyerinus de re cibaria L. VI. C. 2. ait*, (cito nimis) *atteruntur, eroduntur*, semperque aliquos calculos versando ac rotando relinquunt, qui *farinae confusi ac mixti gratiam & salubritatem panificio adimunt*, & plerumque dentibus admodum noxii sentiuntur, cibusque ex ea confectis commendationem detrahunt; addo: panes exinde confectos graves admodum minusque spongiosos, adeoque difficilis concoctionis, esse. Deinde & ipsarum molarum *Hassiacarum rotationes, salubriorem* producere *farinam* omnes mecum confitebuntur, qui considerabunt, *molas* ibidem *fluminibus ac torrentibus plerumque velocioribus*, impelli: deteriores namque cum modo *citato Moreau loc. all. p. m. 279.* æstimo *farinas molarum per rotas pensiles vi æolica versatarum* illis, quæ in molis aquarum fluentium (rapidiorum præsertim) vi impulsis parantur: uniformis siquidem ac pene semper æqualis agitatio molarum per aquas, inæqualis valde per ventos, modo validius modo segnius spirantes; unde & in prioribus *farina æqualium*, in posterioribus *inæqualium molecularum* conficitur; ex illa vero pistum panem æqualis ex hac inæqualis digestionis, hinc in salubriorem, esse vel tyro comprehendit.

§. V. Præmemoratum *atmosphære & aquarum concursum benignum* animadvertere in super licet circa *cocturam cerevisiarum*; salubres siquidem in plerisque *Hassie* urbibus coquuntur *cerevisiæ*, non tam ob frumenti grana minus viscosa & levioris farinae, quam ob atmosphære potius & aquarum è fontibus arenaceis & argillaceis purissimis prorumpentium sinceritatem atque spirituosam levitatem. Præstantiores harum sunt (I) *Rauschenbergica*, (quod oppidum milliari Marpurgo distat) propter aquarum è rupe prosilientium, virtute carminativa & pellendi sabulum calculosum (à particulis forsitan subtilibus aereo-nitrosis copiosioribus procedente) præditarum excellentiam tantopere salubris, ut mensæ SERENIS. ac POTENT. PRINCIPIS CASSELLANI etiam inserviat. Extollunt hanc Medicus Silesius *Job. Jonston in id. med. univ. L. I. C. I. p. m. 44.* & *Guer. Happel. relat. curios. p. 221.* Hanc excipit *Grebensteiniana*, ejusdem virtutis, quam nasturtium ad fontem copiosissime virens simul commendat: descripsit fontem istum *Winckelm. Chron. mem. p. 67.* Succedunt denique *Marpurgensis, Franckenbergeusis, Eischwigensis, Cassellana, Milsungensis, Gyxbagensis*, oppidorumque aliorum plurium, *cerevisiæ tum albæ,*

albæ, quos vulgo brojanas (*Brühan*) dicunt, tum nigræ, (*schwarz* vel *braun Bier*) ex iisdem aquatum & misturæ aeris salubribus causis & ipsæ saluberrimæ.

§. VI. Ab eadem *atmosphæra benignitate vinorum* quoque *Hassia* qualitas salubris maximam partem dependet; ut enim in parte regionis septentrionali, frigidioris & in *Principatu inferiore* ad flumen *Werram* circa *Allendorffium*, *Witzenbusam*, *Rottenbergam*, eadem acidiora crescunt, (quæ nihilominus subjectis calidioribus & sanguine æstuante laborantibus fluxibus item ventris & hæmorrhagiis, rubra præsertim, proficua admodum sunt) ad *Eischwigam* tamen, in eodem *inferioris Hassiæ Principatu* sitam, & in reliquæ ditionis tractibus pluribus, meridionalibus præcipue, *Rhenum* versus ac *Mœnum*, (ubi loca vinetorum *Soli orienti* & meridiano usque ad occasum ejus patent, atque montes saltusque à tergo objecti eadem à ventis frigidioribus tumentur,) in *Comitatu* videlicet *Cattimelibocensi* ad urbem *Rhenofeldam*, in *Dominatu Epsteiniensi*, in *Goso* prope urbem *Franckenbergam*, notante *Gerstenbergero Chron. Franckenb. fol. 13.* quippe aere mixto temperatioris & calidioris paulo affectis, generosa satis ex flavo albescentia ac mitioris saporis producuntur & *Rhenani* æmula in varias regiones transportantur.

§. VII. Efficacia isthæc atque operatio *atmosphæra salubris ad animalia* quoque esculenta, quadrupedia altilia reptilia & in aquis degentia se extendit: duplici quidem modo ad quadrupedia & altilia, tam domestica notissima, quam (& magis forsitan) agrestia, (quia hæc toto anni tempore libere hinc inde vagantur,) cervos scilicet, damas, capreas & hinnulos apros, lepores, &c. tetraones, tardas seu otes, phasianos, perdices, attagenes, rusticulas, turdos, turdulas, alaudas, palumbes, &c. loca plerumque altiora sylvestria & campestria sicca numero innumero incolentia & pervagantia, anates præterea, anseres & gallinas aquaticas, aquis innatantes & arundines ac scyrpos gregatim inhabitantes: hæcce siquidem animalia omnia atque singula sylvestria & domestica (quorum posteriora, quadrupedia præprimis porci & sues, verveces, oves & agni, capræ, boves & vituli, magnam etiam anni partem in saltibus & locis montanis, campis & vallibus siccioribus dies noctesque ut plurimum degunt:) non solum aerem liberiores effluviis salubrioribus balsamicis mixtum immediate in-

spirant : verum mediantibus vegetabilibus, (quibus aere sicciore, particulis tamen humido-nitrosis in tantum temperato, tactis & perflatis, in alimentum utuntur,) & aquis etiam purioribus, salubrem atmosphæram continuo hauriunt, hocque pacto carniū constitutionem saluberrimam acquirunt. Dici enim nequit, quantum atmosphæra & pabula montium, dumetorum, vallium, camporum atque pratorum siccorum, herbis odoriferis, (quibus in vescendo nihil est laudatius,) scatentium in animalium (ferarum præsertim, maxime secundum naturam viventium) gignenda carne suavi & salubris valeant : sicciior namque & excrementitii humoris penitus ferme expers exin efficitur, exemplo vervecum Gallix Narbonensis, de quibus *Quercetan. Diet. Polybyst. S. III. C. 4. p. m. 430.* refert: *hos in sterilibus atque thymi tantum serpilli & id genus odoriferarum herbarum feracibus pascuis educatos carnes sapidissimas & saluberrimas atque lanas etiam pro conficiendis vestimentis optimas præbere ; id quod itidem de ovibus & vervecibus Hassiæ Schwalbacensibus imprimis, jure prædicaveris ; cum notum sit, animantia ista pabulis herbaceis optimis refragantibus atque sicciioribus aquisque purissimis enutrirī, quorum usu non solum carnes ipsorum salubres evadunt, sed lanæ quoque tenerascunt, quam ob teneritudinem & subtilitatem, scribente sic Stephano Ritter *Cosmogr. metric. L. IV. p. 482.* ab Anglis (lanas alias egregias possidentibus) olim abhinc petitiæ sunt.*

§ VIII. *Atmosphæra* hujus atque *pabulorum bonitas & glandium faginarum quernarumque*, quibus porci & sues Hassiæ largius aluntur, ubertas carnem etiam suillam, delicatissimam, longeque salubriorem, nec non à corruptione diutius immunem præstat, ac est illorum, quos alibi locorum oeconomi & lanii domi inclusos quibuscunque quisquiliis ac immundis pabulis faginant, ex quibus lentorem & ulcuscula carnes contrahunt, alimentumque crassum & insalubrius præbent.

§, IX. Deprehenduntur ea propter etiam insignis salubritatis *altilium ova, vaccarum ovium & caprarum lac, butyrum item & caseus* ex hoc parata, (siquidem gramine, granis, herbisque bonis adeo atque laudabilibus in atmosphæra salubri pascuntur,) ut nullum sit dubium, *lac istiusmodi curæ arthritidis & podagræ commodissime adhiberi ; de qua cura lactea præter Greiseliū tractatum conscripsit politissimum*

*simum Vir Consultiss. Johann. Doleus, Archiater Cassellanus, Patronus meus summus, sub tit. Furia podagræ lacte victa & mitigata, cujus §. 3. C. 2. p. 24. huc facit,*

§. X. Quanta præterea *mellis Hassiaci* è succo florum fragrantissimorum, atmosphæra rorida ubertim affectorum, ab apibus collecti sit ex puritate & balsamico odore præstantia, norunt illi, qui id magno studio colligunt, aliarumque regionum mellibus multis parasangis anteponunt.

§. XI. E *reptilium* genere *limaces*, (soli fere esui destinati,) ut plurimum sub terra limosa impuriore reperti cibus minime salubris censentur: in nostro vero solo arenaceo & argillaceo in vineis potissimum & circa sepes hortorum evulsi ob sicciorum telluris temperaturam eique inexistentem atmosphæram vaporibus uliginosis foetidis atque noxiis expertem esui & sanitati etiam commodiores existunt.

§. XII. *Aquarum tandem incolas* in cibum destinatos quod respicit, quis quæso de istorum salubritate dubitare aufit? Etenim lacus & piscinæ regionis pleræque, fluvii & torrentes rapidiores, inter saxa & arenas constituti, aquarum frigidiorum, atmosphæra nitrosa refertarum ac ventis crebrius agitatarum, limpiditate & levitate pollent, in quibus *pisces saluberrimi*, maxime, quos *saxatiles* vulgo nuncupant, (carnis consistentioris friabilis ac lentore & visciditate destitutæ,) maxima in copia enutriuntur: *Salmones* scilicet seu *esoces*, *truttæ* vel *auratæ*, *lucii*, *percæ*, *funduli*, *cobites barbatulæ*, *thymalli*, *cyprini* seu *carpiones*, *barbi*, *coracini*, *cancri*, & id genus plures alii.

§. XIII. De cæterò *vegetabilium & animalium* recensitorum in alimenta cedentium virtutes atque qualitates singulatim describere prolixum nimis & inutile judicavi, quoniam eas *autores botanici & alii in arte dietetica alimentisque describendis solertes* fusissime traderunt; unius tantum curiositatis ergo meminisse sufficiat pomi miraculosæ, ad urbem *Triburium* in campis *Mersheimensibus*, ante aliquot annos à nequissimis nebulonibus detruncatæ; quæ quotannis præter consuetos æstatis fructus nocte festum Nativitatis Salvatoris nostri præcedente intra horæ spatium folia flores & poma minutula instar pisi (aliquando fabæ) protulit. Consuli potest de hac arbore *Abrab. Saur in Theatr. urbium p. 151. Zeilerus Itinerar. Germ.*

p. 485. *Happelius relat. Curios. P. I. p. 60. & 223.* atque *Camerarius horar. subcis. P. II. Cap. 95.* Alias adhuc in *Hassia* hujus generis pomos reperiri scribit *Winckelm. tr. all. L. I. Cap. V. p. 26.*

## CAP. VI.

### RERUM ET SIMPLICIUM HASSIÆ SALUBRIUM AD MATERIAM MEDICAM SPECTANTIUM SCIAGRAPHIAM SISTENS.

#### §. I.

**R**estat describenda *materia rerum & simplicium Hassiæ*, sanitati præcipue recuperandæ proficuarum, quam juxta classes trium regnorum, mineralis scilicet animalis & vegetabilis, enucleatius proponere mecum quidem constitueram: verum cum perlustranti mihi spatiosissimus hic scribendi aperiretur campus, & pagellas dissertationis meæ his tradendis minime suffecturas animadverterem, (cum singula horum tractatum mereantur,) consilium mutavi, satiusque duxi, eadem ulterioribus & proluxioribus meditationibus cum DEO & die aliquando conscribendis destinare, nunc vero paucis tantummodo farraginem rerum medicamentosarum *Hassiæ* indicare, easque aliquo modo adumbrare.

§. II. Habet illa *aurum* in visceribus montium, item prope *Sairam* (*Sair*) torrentem majorem juxta *Helisperium* (*Helisper*) duobus milliaribus *Cassilio* distans, sub ejus ponticulo in arena nigra, referente *Kellnero* in *Berg. und Salzwerks. Buch p. 500.* & in *Adrana* quoque fluvio; quod posterius sincerimum, nulla depuratione indigens, cursu ipso, ut cum *Plinio H. N. L. XXXIII. C. 4.* loquar, tritum perpolitumque, ad medicinas parandas aptissimum est, de quo & moneta exinde cusa evolvi poterit *Winckelm. Chron. Hassiæ P. I. C. 8. p. 57. seq.* Aurum ejusmodi fluviale ex aquis fluminum opitulantis Sole & elementis generari defendere satagit *Cardilucius* in *append. ad Erckeri aula subterr. librum secundum p. 115.* argumentis non adeo validis, sicuti inspicienti patebit: cui præter alia principaliter obstat, quod in illis præsertim regionibus aurum fluviale deprehendatur, ubi montes auriferi reperibiles sunt, quorum fundum & radices, arenulis

nulis auri scatentes, flumina quocunque modo tangunt; quod per Tagum Hispaniæ, Hebrum Thraciæ, Pactolum Asiæ, Adranam Hassiæ, & plures amnes ac torrentes Hungariæ, &c. montes auro divites alluentes, facile probatur.

§. III. Habet *argentum, cuprum, plumbum*, testimonium exhibente *Petro Albino* in *Der Meißnischen Berg-Chronica* tit. 13. fol. 15, *ferrum* præsertim & *chalybem* copiosissimum ac optimum, lapidem item *Hematiten* (*Blutstein*) scribente *Agricola de natura fossilium* l. c. p. m. 297. quorum metallorum fodinæ in montibus Hassiæ hinc inde conspiciuntur plurimæ; enumeravit easdem *industrius Winckelm.* tr. cit. P. I. C. 6. p. 29. seqq. & P. II. in descriptione locorum particulari passim, cui merito sociaveris profundissimæ scientiæ metallicæ plenam dissertationem, *Métallurgie Pyrotechnica & Docimasie metallica fundamenta* sistentem, incomparabilis hac in arte viri, *Dn. D. Stablii, Profess. Med. Fridericianæ nostræ famigeratissimi, Patroni & Pædemptæ mei colendi*, in qua varia etiam circa metalla & fodi-  
nas Hassiæ hinc inde invenies notabilia.

§. IV. Ex hisce metallis medicinæ parari consueverunt efficacissimæ; speciatim hic notanda venit virtus *mineræ marti-solaris*, qua per 14. præter-propter dies & ultra atmosphæræ frigidæ exposita Sal aereum ad aliquod uncias acquiritur, quod cum particulis alcalicis martialibus unitum, ab illa per aquam pluviam separatum, salem dulcem & vitrioli æmulum sub colore viridi exhibet; vid. *Anonymi Aurum aure* C. II. p. 12. 13. & *B. Hoffmanni Clav. Pharmaceut.* L. III. C. 17. §. 180. p. 317. præprimis a. C. II. in fine p. m. 139. Ex hac ipsa *minera egregia* quoque conficitur *tinctura extemporanea* hoc modo: instillatur nempe liquori terræ foliat. tartari tantum liquoris *mineræ martis Hassiæ*, usque dum in momento mixtura hæc tincturam rubicundissimam acquirat; item *alia* non minus laudabilis: quando nimirum *minera dicta*, postquam pulverisata atmosphæræ ad sufficientem vitrioli martialis productionem exposita fuit, cum aqua quadam destillata calida infunditur, filtratur, & aquositatis *tertia vel dimidia pars* ad olei fere consistentiam abstrahitur; dilutionem & jucundi coloris cum spiritu roris majalis elaboravit *prælaudat. Hoffmannus loc. cit.* quæ medicamenta omnia in morbis Chronicis extirpandis sunt singularissima. *Aquam spirituosam* quoque ex-

inde elici testis est idem *Hoffmannus lib. cit. C. II. §. 85. p. 227.* Methodum hanc destillandi pete ex *Schröder. Pharmacop. L. III. C. II. n. 3. p. m. 372.* Commendat aquas tales martiales insigniter ad transmūtanda metalla *Mazotta in tripl. Philos.*

§. V. Habet præterea *mercurium, cinnabarim* etiam, quam in flumine prædicto *Adrana* in granis reperiri certo scio.

§. VI. Possidet *terram sigillatam albam, spadiceam, rubram,* (quam posteriorem axungiam solis & auri semen alchymistæ appellitant,) *Lemniæ æmulam;* de hac *D. Andreas Bertholdus Ossatiensis,* ejus detector, sequentia conscripsit disticha:

*Mittat ut post, hac quævis gens munera vobis.  
 Quelibet; Hassiacis non potiora dabit  
 Cætera enim tantum solari axungia habebunt  
 Ejus, quantum ipsis cedere terra polis.*

Aliam item ex alba & rubra mixtam *Marpurgum & Suenisburgum* inter, referente *Agricola de re metallica lib. II. de fossilium natura circa fin. p. 583.* reperias. Tantæ virtutis terra rubra æstimatur, ut pro scopo conficiendi aurum potabile & medicinam uniuersalem ejusdem ad *Laubacum* (*Laubach*) dimidio milliari *Grunberga* effossæ magnam quantitatem iteratis vicibus *Regiomontium* in *Borussiam* sumtibus haud exiguis deferri curaverit ante multos annos Consul quidam & Chymicus illius loci præclarus. Sigillatæ isti affines sunt terræ argillaceæ medicamentosæ aliæ plures, (*Letten/ Thon Erde;*) altera pellucida, vasorum pulcherrimorum (illis, quæ *Porcellan* dicunt, similia,) elaborationi *Cassellis* inserviens; altera reperibilis ad *Husum,* (*Hausen*) pagum inter *Kirchanium & Giessam,* ex qua decantati illi conficiuntur urcei, quos *Häuser Krüge* vocant: quam posteriorem magnæ adeo in defendenda sanitate humana efficaciam expertus est medicus gravissimus, *D. Helvicus Dietericus,* &c. ut aliquoties ejus ingentem copiam *Hamburgum* transtulerit, referente hoc *Winckelm. loc. cit. C. VI. p. 40.* e literis *B. Dieterici.*

§. VII. Possidet insuper *bolum rubram albam* atque *terram crucibulis compactissimis* construendis aptam, *lapidem calcarium, Osteocollam,* (*Ossifragam, Ossisanum, Bein Bruch/ Bein Welle/ &c.*) de cujus differentia & virtutibus evolvi poterit *Quercetanus, Crollius,*



maxime *Anselm. Boetius de Boodt* in *Hist. Gemm. & Lapid. C. 233. &c. p. 204, seqq.* qui speciatim *Ossifraga Darmstadiensis* meminit, eique nomen *Stelechitis* imponit; de hac *Thom. Erastus Prof. Heidelberg.* commentarium doctissimum conscripsit, eamque lapidem fabulosum nuncupat; his addi meretur *Laz. Meissonerius* in *Pentagon. Philos. Medic. p. 77. & D. Joach. Strüppius, Gelhusanus, in consensu scriptorum histor. mum. lit. b. 3.* e quo tractatu momentula quædam epicrifi subjuncta recenset *Eruditiss. Polyhistor Winckelm. loc. all. p. 31. seqq.* ubi tamen notandum, *Osteocollam*, quam à *Nettero* Pastore Bessingensi *Strüppius* accepit, ab *unicornu fossili* non differre, & tertiam illam speciem *Ossifraga*, quam *Boodt loc. cit. enosteum* vocat, constituere: confer huc *D. Schröderi thesaur. Pharmacol. ex editione Witzelii L. III. C. VIII. no. 20. not. ult.*

§. VIII. Gaudet porro *Gypso*, notante *præcit. Agricola loc. all. p. 250.* gaudet *Alabaastro*, (quod vulgare, sculpturis nimirum destinatum, facillime ustione in *Gypsum* convertitur;) ab hoc nomen sortitum est *Ungv. Alabastrinum*, insigne in doloribus renum inflammatoriis remedium externum.

§. IX. Superbit itidem *marmore variegato, spadiceo, albo, rubro*, circa quod postremum tum crudum tum potissimum calcinatum observatum est singulare, quod magnetem aquæ salino-spirituosæ ex aere copiosissime colligendæ præbeat; modum *Chiliarchæ Lucano* in *Morava* superiori seculo communicatum instrumentumque delineatum videsis in *Staricii Heldenschaks p. 101. seqq.* cui ob paritatem materiæ jünge *Hoffmanni Clav. Pharmaceut. p. 149. seqq.*

§. X. Ulterius gemmis quoque potitur, *adamantibus* scilicet, *achatibus*, de quibus posterioribus præter virtutem ipsam alexipharmacam notatu dignum est, quod (semitranslucentes aliquando) lineis aut maculis diversorum colorum, variarum rerum figuras & imagines representantium, mirabili modo à natura exornatæ sint; inveniuntur enim, quæ flumina, nemora, arbores, fructus, flores, herbas, nubes, animalia, certas personas, imo quicquid excogitari potest, non obscure referunt. Ex *achate* istiusmodi variantium, colorum figuratumve, sicuti rumor fert, *Cassellis* construi jam curat conclave curiosissimum ac pretiosissimum *Sereniss. & c. Princeps CAROLUS.* Gaudet etiam *Jaspide*, quæ quamvis pares cum *achate* colo-

res recipiat, mollior tamen aliquantisper & obscurior est, nec adeo exacte poliri potest, sicuti achates; stupendi nihilominus effectus memorante laud. *Boodt tr. all. C. CII. p. m. 127.* cohibendis hæmorrhagiis quibuscunque Jaspis est illa, quæ per totam sui substantiam sanguinis instar absque alio colore rubet; verba scriptoris, quoniam liber ejus rarior in paucorum est manibus, thesi inferere lubet: *Testari (inquit) possum, me, qui alias lapidibus & gemmis tantas vires, quantas vulgus solet, non tribuo, cum in Frisia orientali apud Illustriss. Baronem à Kniphausen ad aliquod tempus degerem, credibile vix de Jaspidis viribus observasse, Nam cum ancilla Domina fluxu menstruorum ita laborasset per aliquot dies, ut nullo modo sisti posset, jaspidem rubram, quam Dominus multis annis, ut agebat, apud se habuerat, impolitam & crudem femori alligari jussi: quo facto subito mensium fluor substitit, nec rediit. Alius ex ipsius familia, cum in pede vulneratus esset, nec sanguinis fluxus cohiberi posset, admoto lapide extemplo impeditus fuit, licet vulnus non tegeretur. Memini me virginem Pragæ curasse, quæ sex annis hæmorrhagia laboraverat ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret, quin aliquoties illi sanguis efflueret. Hec cum nullis remediis juvari posset, à me consilium petiit; qui prætermisissis aliis omnibus, quæ à medicis præscribi solent, utpote quibus ad nauseam jam diu usa fuerat, JASPIDEM, cujus facultas ad hujusmodi symptomata mihi experientia nota erat, illi commodato do, ut collo appensam gerat: paret illa, sanguinisque fluxus illico sistitur; gestat per aliquot hebdomadas, nec redit fluxus: cum itaque se prorsus curatam opinaretur, deponit gemmam, post paucos dies redit fluxus, iterum appendit JASPIDEM, cujus beneficio mox liberatur: cum vero singularem hujusmodi facultatem & divinam mirarerur, (ut mihi retulit,) experiundi gratia aliquoties à collo deposuit gemmam, ac semper animadvertit redire fluxum, nec curari, quin iterum appenderet: observavit tamen, non statim seposita JASPIDE redire, sed post multas prius elapsas hebdomadas, appensa tamen statim sisti, ita, ut nulli alii cause fluxus inhibitio adscribi ab illa potuerit, quam JASPIDI: tandem, cum per aliquot menses à corpore gemmam non deposuisset, nec unquam hæmorrhagia rediisset, mihi gemmam reddidit, ac affirmavit, per semianni spatium se liberam fuisse: postea, cum illam sæpius convenirem, affirmavit,*

non redire amplius fluxum, ac se omnino curatam esse. Tribuunt alii etiam VIRIDI JASPIDI, quæ maculas rubicundas habet, hanc facultatem, sed ego, quod multoties expertus sum, refero. Non incongruum proinde fuerit, gemmam hanc ex autorum quorundam mente interne etiam ad drachm. i. pro sistendis mensibus exhibere. Rubræ hujus jaspidis emulam ad pagum Kauffungam reperiri, idem autor præcedente cap. consignavit. Nonus Medicus JASPIDEM VIRIDEM epilepsiam quoque arcere scribit, idque ab aliis plurimis etiam asseritur: quæ, si circa ensiformem cartilagineam per diem & noctem ab epileptico gestetur, eum, si sudore corripitur, à paroxysmo liberari, sin minus, emori ajunt, idque multoties fuisse probatum: vires has omnes augeri putant, si argento (non alteri metallo) includatur. Cum emolumento ergo in talibus & similibus morbis pocula Hassiaca, è durissima jaspide, (ob quam invincibilem fere duritiem achatis potius nomen mereretur,) confecta pro potu quotidiano ex iisdem hauriendo usurpabuntur.

§. XI. Abundat carbonibus fossilibus, quos præter commodum in re oeconomica oleum ad maturanda ulcera emolliendosque tumores aptissimum exhibere non sine ratione autumat Schröderus cit. tr. L. III. c. 33. p. m. 508. col. 1.

§. XII. Præbet alumen, terram clavellatam fossilem, recensente Winckelm. loc. proxime all. p. 37. & factitiam seu cineres clavellatos, nitrum, vitriolum, & hoc quidem optimum, quia multum de marte participat; sulphur, ex quo salutare illud & per orbem celebre conficitur Balsamum sulphuris Smalcaldicum.

§. XIII. Sal commune diversis in locis exhibet, quod non condimentum solum ciborum optimum est, sed ad recuperandam sanitatem insimul remedia suppeditat excellentissima; inprimis oleum dulcissimum, singulari encheiresi addito aceto destillato vini, ad hoc opus specialiter parato, elaboratum; quo ipso aurum, metallorum compactissimum, adeo subtiliter solvi scribitur, ut id destillatione per alem bicum 18. unciarum altum una ascendat; quod aurum ita volatilifatum, cum salis isthoc oleo per aliquod tempus circulatum, & peculiari modo fixatum, medicinam reficiendo corpori non potest non præbere incomparabilem. Præparavit hoc arcanum elapso seculo XV. Pater Gregorius de Loebaw, cujus ope is vitam

longam eamque viribus præstantissimam consecutus esse fertur. Curiosum observatu est de aquis *Salinarum. Allendorffensium* (vel *Hallendorffensium*; solent enim loca, ubi sal conficitur, germani appellare *Halas*; causam appellationis suppeditat *Althamerus comment. Germ. p. m. 361.*) quod auctis aquis fluvii *Werra* earundem ipsarum falsedo augeatur; cuius rei rationem reddere difficile admodum est; licebit tamen aliquid pace aliorum prudentionum hariolari: nimirum, mineras salis potiores in altioribus forsitan terræ locis, circa fontes præprimis, delitescere, quas, dum altius assurgentes aquæ, jam tum aliquantis per falsæ, denuo alluunt, hæ novis salium partibus resolutis accedentibus potentiores evadunt: quæ rursus cadentes ob contactus cum mineris his defectum, sensim sensimque efficaciam acquisitam amittunt, viresque pristinas saltim iterum acquirunt. Duplici igne vel carbonum fossilium vel lignorum sal ex aquis istis coquitur, quorum quidem posterius priori præstat, rationes vid. apud *Winckelm.* loc. all. C. X. p. 70.

§. XIV. Scaturiunt præterea in diversis regionis Hassiacæ districtibus *acidula saluberrima*, à *Winckelm.* L. I. C. 12. & L. II. passim exhibitæ; in Comitatu præprimis Cattimelibocensi: harum celebriores sunt, quas hauriunt è fonte, quem dicunt *Den Duncfelholder Brunnen* prope *Braubachium* ad Rhenum; de cuius virtutibus evolvi poterit *Andernacus de balneis & aquis medicat. p. 146.* Omnibus vero palmam præripiunt *Schwalbacenses* decantatissimæ, *variorum fontium*, & adeo celebres, ut ad multa milliaria in *Bohemiâ*, *Saxoniam*, *Silesiam*, *Helvetiam* & *Galliam*, &c. magnis sumptibus deferantur: quanquam id cum insigni virium suarum jactura fieri putem, quippe in itinere tam longo spiritus æthereo-minerales, in quibus potissima illarum virtus consistit, maximam partem, tantum non penitus, consumi, nullum est dubium: tanto siquidem spiritus memorati robore & copia pollent, ut recenter ex ipso fonte haustæ acidulæ nares ad sternutationem usque afficiant: quin illæ, quas è fontibus, à tiliâ *Den Linden* & vinoso sapore *Den Wein Brunnen* salutatis, promunt, ob turgescentiam spirituosam vitra respuunt, eaque diffringunt; confer huc *disput. sæpius alleg. de aqu. salubr. examine Præcell. nostri Hoffmanni th. 6. & 8. p. 11. & 13.* Circa harum acidularum usum in specie notandum, eas cœlo sereno longe præstan-

stantiores esse quam nubiloso, item si ad fontem bibantur. Descripserunt has *D. Dietericus*, a Patria *Tabernemontanus* dictus, *D. Hornick*, *D. Job. Bernhard. Gladbach*, *Phys. Francofurt.* *D. Job. Dan. Horstius*, *D. Job. Gottfr. Geilfus*, peculiaribus tractatibus; quibus jungenda *Responsa varia Medicorum Celeberrimorum de probatione facultate & usu acidularum ac fontium Schwalbaci susurrantium* a *D. Helvico Dieterico Archiatro Hassiæ* edita, & *D. Melchioris hydrolog. Sectio II. C. 5. p. 178. seqq. & sect. I. c. 2. p. 14. seqq.* Mira sunt, quæ de aquis istis Schwalbacensibus mineralibus narrat *Merian Topogr. sue p. 123. & 127.* ranas nimirum, cancos, pisces quoscunque, in his incontinenter emori; & quod notabile admodum, quousque effluvia acido-sulphureo-spirituosa in aere diffunduntur, muscas, mures, glires, serpentes, bufones, cæcilias, lacertas, vermes, nullatenus subsistere posse: imo, quod maximum, in cellis Schwalbacensium, exhalationibus ejusmodi vitriolico-martialibus refertis, in æstuosissima etiam æstate carnes quascunque absque omni putredine & foetore conservari. De fonte *Soterio*, acidularum æmulo, in campis *Gismarorum*, duobus milliariibus *Cassilio* distante, ejusque effectibus stupendis, tractatum edidit *M. Georg. Schultz. Prof. Math. Erfurtinus*, quem *theatro Europæo fol. 78.* insertum cernes. In vicinia quoque Principatus Hassiaci hinc inde quidam offenduntur fontes acidi salubres, de quibus sermocinari nostrum jam non est: præcellunt *Pyrmontenses* in finibus *Comitatus Schauenburgici*, quos *Georg. Bollmannus & D. Cuneus medici* peculiaribus tractatibus descriptos nobis reliquerunt.

§. XV. *Thermis* tandem egregiis pollet Principatus noster Hassiacus: præcipuæ sunt *Emsenses*, quæ tepidæ haud procul à *Lanstein* in Comitatu Diezensi prodeunt. De harum situ & facultatibus vid. *Job. Textoris Chron. Nassoviense p. 7. it. D. Job. Dan. Horstii* tractatus de *his thermis* peculiare, præterea *D. Gregor. Horstii obs. medicin.* atque *Rulandi Hydriatr. Sect. III. fol. m. 49. a. seqq.* Sequuntur *profluentes* in Comitatu *Cattimelibocensi*, haud procul à vico *Berstädt* / qui *Schwalbaco* dimidio præter propter milliari distat, calore *thermis Piperinis* similes; his à serpentibus seu viperis, quæ delitescere ibidem & capi catervatim olim solebant, impositum est nomen *Schlangen-Bad*; descripsit has succincte quidem ast erudite

*præcit. Melchior, Archiater Hassiacus & Nassovicus, Hydrol. part. III. à C. 5. usque ad finem. Jucundum lectu est, quod annotavit Winckelm. loc. all. p. 76. caneros nimirum in rivulo scaturiginem thermarum istarum, tepore suo lac recensiter emulctum æmulantium, præterlabente, postquam is eum aquis thermalibus unitus est, captos sub elixatione minime communem illum colorem rubicundum, sed flavum penitus acquirere. De thermis Wisbadensibus Nassoviorum calidioribus in confiniis Hassiæ scaturientibus tractatus speciales ediderunt Philippus Weber. Lud. Hornigk & J. G. Geilfus. Med. Doctores, harumque virtutes & facultates prolixè deduxerunt. Thermæ istæ, sicuti e Plinio & Ammiano Marcellino L. XXIX. p. m. 479. innotescit, olim fontium Mattiacorum item aquarum Mattiacarum nomine inclaruerunt, à Metropoli Cattorum Mattio & populis Mattiacis hoc mutuantes; cujus rei historiam controversam è monumentis veterum sufficienter admodum enodavit id. Winckelm. loc. cit. p. 79. seqq. & cap. 3. p. 15.*

§. XVI. Denique aquæ etiam regionis nonnullæ dulces medicatæ inveniuntur: talis est aqua Lani fluvii, quam Petr. Bertius Comment. rer. germ. lib. 3. p. 192. in affectibus cutis scabiosis illiusque asperitate præ aliis fontibus soteriis & thermis insigniter extollit; aqua fontium Rauschenbergensis & Grebensteiniani, quarum vis carminativa antinephritica & antiscorbutica jam indicata est; aliarumque scaturiginum aquæ plures. Causam virtutis medicæ fontium talismodi soteriorum potioem non inepte in terra argillacea, (alcalifata,) obiter quandoque etiam martialibus particulis subtilissimis imprægnata, post eorum levitatem spirituosam &c. annuente experientia collacaveris: quandoquidem in ejusmodi aquis salubribus dulcibus examinatis semper argilla subtilissima manifestatur: testatum id faciunt fontes duo soterii dulces, qui superiori seculo in Comitatu Nassovico ad Herbornam & Comitatu Stolbergensi retro Niddam vel Lisbergam prodierunt: quorum aquæ terræ argillaceæ optimæ erant feracissimæ; quamvis hi aliquot annis elapsis rursus evanuerint. Testatum id insimul faciunt aquæ thermales Berstettenses, dulces & pingues, quæ à Prælaud. Archiatro Melchiore cit. tr. S. III. c. 8. p. 202. seqq. examinatae terram exhibuerunt argillaceam purissimam & levissimam: qualismodi argilla, quam terram Adamicam is appellavit,

vit, totum montem è quo thermæ dictæ saliant, repletam esse refert. Idem format iudicium *profundissimæ eruditionis Vir, Hoffmannus in metho- do examinandi aqu. salubr. dissertationis §. 25. cui Junges quo- que §. 19.*

§. XVII. De rebus medicamentosis è *corporibus animalium* petendis in genere notandum, vix unum horum dari, quod non sanitati humanæ aliqua sui parte succurrat. Inprimis autem copiosa ibidem haberi poterunt medicamenta ex *cervis & apris*, quorum aliquot millia annuatim trucidantur; ex *viperis* præ- terea optimæ notæ, in montibus *Smalcaldie* abundantissime captis, quibus non haberi pares in Germania scribitur: vim istarum singularem in extirpanda cutis fœditate leprosa ex impuritate san- gvinis experientia confirmatam tradit *Galenus lib. simpl. 11. & de antidot.* Ex *apibus* item, *mel & ceram* depuratissima suppeditantibus; quin imo ex *aquilis* etiam, quas subinde in montibus altioribus ibi- dem invenias, de quarum usu Medico videsis *Aldrovandum orni- tholog. L. I. p. m. 44.* Taceo *animalia exotica*, *Cassellis* & alibi in di- versis Principum arcibus & prædiis alta: est ex horum numero *Ca- suarius* avis maxima & rarior, quem *Francisc. Willinghbejus è Clusio ornitholog. L. II. §. 3. fol. 105.* descripsit. Reliqua animantia vulgaria innumera eorumque usus medicus à scriptoribus Medicis plurimis in libris Pharmacologicis ad nauseam exhibita sunt.

§. XVIII. *Vegetabilium* tam *rei domesticæ & culinae* simulque *sanitati* opitulantium, (qualia sunt v. g. *varia frumentorum genera, porrûm, allium, cepæ, nasturtium, lupulus, Nicotiana, linum, glastum seu isatis Weid* / cuius virtutem vulnerariam deprædicat *Historia gen. plantar. lib. IV. p. 499, 501. &c.*) quam plane medicamentoso- rum, montanorum partim, utpote præcipuorum, (quorum aliqua su- pra §. 23. C. III. recensui,) partim etiam in locis declivibus proger- minantium, ingens in Hassiæ Principatu ejusque ditionibus est pro- ventus, quæ omnia vel nominare tantum (nedum describere) hic est impossibile; inprimis copiose illic crescunt *Sennæ sylvestris* species quædam, quam fortasse non inepte inter coluteas referas, *ebulus, acorus, buxus repens vel minor, viburnus, ribe-sambucus* rubeis fructi- bus, & alia plura. Instar omnium de vegetabilibus *Hassie* eorumque virtutibus & usu evolvi potest *D. Dieter. Tabernem. in Herbario. Præ-*

ter vegetabilia isthæc regioni nativa *exotica* quoque *planta frutices arboresque* plurimæ in hortis Principum, *Cassellani* præsertim, aliorumque incolarum dignioris conditionis visuntur, ut sunt tuberosa, malus citria, aurantia, granata, ficus, Myrtus, Laurus, Jasminum, olea, cupressus, Aloe, & id genus alia : quorum folia, flores fructus & cortices, usum in medicina multum & magnum pro scopo inprimis alterandi & confortandi præbent.

§. XIX. En abundantiam rerum simplicium sanitati humanæ restaurandæ proficuarum in Hassia pronascentium : è quibus perquam utilissima educi & parari posse remedia libri medicorum practici & pharmaceutici ubertim edocent ; nec deficiunt his comparandis ibidem instrumenta chymico-pharmaceutica quæcunque : extractas namque cernas officinas vitriarias & ferrariorum complures, (*Glasz und Eisen-Hütten*) in quibus instrumenta vitrea & ferrea, *Almerodæ* vero terrea , optima conficiuntur , insimul saxa & lapides cocti, calx, ligna & carbones, vili pretio prostant ; unde varia etiam hinc inde in urbibus adornata sunt pharmacopolia laudatissima : *Cassellanum* inprimis *aulicum* , per orbem celebre, quod consummatissimum & ornatissimum præ omnibus Germaniæ & Italiæ pharmacopoliis *Quercetanus* Pharmacop. p. m. 509. 510. suo jam tempore deprædicavit, ad cuius normam is pharmacopœiam suam se concinnasse fatetur. Facile proin conjectu , quantis illud nostro hoc seculo, (quo medica ars longe majus incrementum acquisivit,) quamque generosis auctum perpolitumque sit medicamentis : cum hac fini *Sereniss. &c. Princeps CASSELLANUS* magnis sumtibus laboratoria chymica construi curaverit, omnibus requisitis instructissima & absolutissima. Nec deficiunt in regione nostra directores & restauratores sanitatis humanæ ingeniosissimi ; ibi siquidem eruditionis emporia habentur tria celebria, *Marpurgense* scilicet, *Rintbelianum* & *Giessense*, in quibus hæctenus artem salutarem profitentur & exercent Viri Celeberrimi, & è quibus prodierunt Medici practici prudentissimi pariter ac experientissimi: in medium adduco Illustres Archiatros, *Dolaum Cassellanum* & *Hertium Darmstadiensem*, viros multa lectione & profunda experientia practica Clarissimos : cujus rei insigne specimen exhibent prioris *Opera Medico-Practica*, *Encyclopædia* præsertim *Medica & Chirurgica* ante multos annos diversis in locis sæpius



pius evulgata ; sisto præterea Professores Academiarum Excellentissimos, *Wintherum Rintbelensem, Dorstenium & Nebelium Marpurgenses* atque *Valentinum Giessensem*, è praxi & scriptis celebres. Possem nominare plures, ni pagellarum angustia id prohiberet.

## CONCLUSIO.

**J**Udica jam exactenus propositis, mi Lector, an non recte dixerit *Clariss. Westphalus, Hermann. Buschius*, sicuti de eo refert *Joach. Camerar. F. L. III. epist.* quando aerem *Hassiacum* rosas spirare dixit ; & num falsum non scripserit cum *Tacito Seneca L. cur. bon. vir. mala fiant C. IV. sub. fin.* quando Germanos perpetuam hyemem, triste cœlum premere, maligne solum sterile sustentare, scripsit. Quadrat ea propter *Hassie* apposite delineatio situs loci salubrioris, quam suppeditat *Senert. loc. supr. cit. in fin. cap. sequenti verborum tenore* : *Ex his omnibus non difficile est colligere, quis locorum situs sit salubrior & corpori nostro commodior ; in quo scilicet ea est aeris constitutio, ut siccitas & humiditas bene temperata sint, ad colorem vero nonnihil declinet, & quæ nec nimio aestu corpora torreat, nec frigore gelida reddat, sed moderate calorem refocillet, & spiritibus gignendis optimam materiam suppeditet, occursuque suo suaviter ac blande corpora nostra afficiat. Ver sit temperatum, æstatis calor frugibus & fructibus maturandis sufficiens: Autumnus frigidior: Hyems quidem frigida sed quæ tamen nimia frigiditate corpora nostra non ledat. Talis ubi est aeris constitutio, ibi procul dubio soli adest fecunditas rerumque omnium copia, ibique reperiuntur statu corporis decoro præditi homines, facie bene colorata, moribus nec feris, nec mollibus nimis, ingeniosi atque ad omnes artes excolendas apti, & proinde sanitatem majori ex parte inculpam obtinent.* Non in congrue hinc *Tacitus de Germ.*

C. 30. *Genti nostræ duriora corpora, strictos artus, minacem vultum, magnum animi vigorem, multumque rationis ac solertia in expediendis rebus tribuit. Quibus omnibus probe pensitatis neminem mirum habebit, quando incolæ Hassiaci (diæta perversa non utentes, nec morbo hæreditario affecti,) sani ut plurimum ad septuagesimum & octuagesimum, multoties centesimum ætatis annum & ultra perveniunt; Potiuntur hoc beneficio in excellentiori gradu Schwabacenses, qui macilenti quidem, robusti tamen, morbos atrociores tum chronicos tum acutos, v. g. catarrhos, cephalalgias, inflammationes & obstructions viscerum, hepatis, lienis, calculos, febres &c. certe rarissime perpetiuntur, sicuti præter experientiam de iis confirmat Merian. Topogr. Hassie p. 123. Stupenda summæ ætatis exempla congestit Winckelm. Chron. all. P. III. C. 3. p. 365. seqq. Palmaria saltem & notatu dignissima hic commemorare lubet: anno 1597. 30. Martii Marpurgi coram judicio aulico comparuit testis Georg Burckhardus, Wettefingensis, e Præfectura Zierenbergensi, qui Centum octuaginta annorum senex testantibus actis forensibus judicio adhuc pollebat; Anno 1637. in Præfectura Rommerodensi Andr. Bohnius & Catharina conjuges matrimonium 91. annorum compleverunt, & ambo anno ætatis centesimo sexto diem supremum obierunt; Anno 1610. Jo. Mylius Senator Aüendorffensis ad Lomdam centum trium annorum senex ejusque uxor Catharina 100. annorum vetula, postquam per 80. annos vinculo conjugali juncti fuissent, vita excefferunt; Anno 1666. Job. Hilesius Gismarus annos ætatis 120. complens obiit; Job. Martius, Diaconus Daurnheimianus, anno ætatis suæ centesimo quarto vitam cum morte*

commutavit; *Johannes Zungius Novi-Cattimelibocensis, Martin. Schreinerus, Catharina Reikin/Geravienses*, annos ætatis 105. consecuti sunt. Curiosissimum est, quod de *fœmina Nobili a Dalwig M. Theod. Zwinger. vit. hum. vol. 3. Lib. II.* annotavit: eam nimirum senem adeo factam esse, ut *sexti gradus nepotes sana & incolumis* conspexerit; depingit felicitatem *Matronæ sequens distichon ingeniosissimum*:

1.) *Mater ait.* 2.) *Nata: dic,* 3.) *Nata, filia,* 4.) *Natam*  
*Ut moneat,* 5.) *Nata, plangere* 6.) *filiolam.*

Quod Germanico idiomate ita exprimitur: *Die Mutter sprach zur Tochter: meine Tochter / sagt eurer Tochter/ihrer Tochter zu hinter bringen/das ihr Tochter=Kind weine.*

Tantum de Salubritate Hassiæ.

## COROLLARIA.

I. *Influxus Cœli decantatus non effluviis corporum cœlestium descendibus, uti Medicorum quidam & Alchymistarum plerique somniant, sed motu solo per aerem expeditur. Defendere quidem illi assertum conantur ex Deveron, C. XXXIII. v. 14. ubi verba שמש תבואת מנר extant, quæ aliqui per pinguedinem seu florem stillantem Solis interpretantur; quibus effluviū sideris hujus manifesto significari contendunt; verum errant & falluntur, si aliter quam de effectu Solis in his sublunariis secundum Alexandrinum de Vincentinis de Cœli influxu in sublunaria C. V. solo lumine & motu producto, verba scripturæ intelligant: Sol namque corpus lucidissimum ob vehementiorem sui motum ac radios penetrantiores & calidos totam hanc universitatem fo-*

vendo peculiaria & balsamica magis excitat & quasi scaturire facit effluvia, quæ hinc inde condensata materiam roridam & pinguem constituunt. (*De admiranda Solis energia* ad si lubet *fusus discurrentem Dionysium Areopagitam lib. de divinis nominibus.*) Etenim ab astris terræ globum versus effluvia dimitti vel ex hoc non est verisimile; quia per quotidianum & copiosum adeo discessum particularum minimarum, quarum nulla est restitutio, tandem absumerentur; imo per adeo longum secundum pristina tempora annorum decursum fere jam absumta forent. Qui etiam posset fieri, ut imminutis his æqualis eorum cursus sustineri valeret? Imminuta namque leviora, dehinc velocioris longe cursus forent, & totam cœli harmoniam turbarent. Astralium vero effluviiorum recedentium restitutionem secundum *Gassendum* nullam esse, evincit longissima illa distantia inter locum astrorum & corporum sublunarium, quæ sola apta nata sunt, ut incrementum aliquod rursus corporibus addant: cum superior & astris propior locus nullis plane scateat corpusculis, ut ita loquar, nutribilibus, neque ex atmosphæra inferiore adeo alte ascendant; sicuti jam dudum per experientiam edocuit *à Costa*, ex cujus observatione in summis montium cacuminibus atmosphæra jam adeo est tenuis, & effluviis gravioribus ac solidioribus orbata, ut ne respirationi quidem sufficiat. Quod si quispiam instaret, ab æthere ipso hoc incrementum præstari: isti relegendum; ex ætheris corpore subtilissimo siccissimo ac fluidissimo non posse coagmentari corpus tale densum & solidum, qualia sunt astra; nec unquam ex hoc etiam in sublunaribus corporibus incrementum aliquod animadvertum esse: licet enim corporibus solidis omnibus eorum potissimum conservationis gratia æther universalis insit, pars tamen ipsorum constitutiva non est, cum corpora dicta ex partibus solidis & sensibilibus magis ac immutabilibus, minime coagmentabilibus constent.

II. Vita durare potest sine cibo & potu, ast non sine atmosphæra, quæ etiam nutrit.

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICUS HOFFMANNUS.

**V**Ere graviterque dictum à Cicerone: *Ars vivendi summa est sapientia.* Differt vivendi ratio, prout hominum ingenia mores regiones & status distinguuntur: differt vita academica à vita politica. In Academiis florent *Traiani* tempora, ubi sentire, quæ velis & quæ sentis dicere licet. In vita politica libertas restricta est & serviendi promptitudo prævalet. In academiis dulcissimum ex veri inquisitione & litterarum secretis nascitur ocium, & menti paratur tranquillitas. Altera vero vita magis turbida tumultuaria molestiarum curarumque plena menti adimit blandam quietem. Regnant in academiis, vitia, sed longe majora & conspectiora inter politicos. Nostro enim tempore homines pecuniæ quam recte faciendi cupidiores foedissimæ adulationis & calumniarum infamia subinde utuntur, & alter alterum variis artibus subvertere studet. In academia juvenes amicitiam alunt, candorem & simplicitatem præ se ferunt, fervore quandoque eorum actiones comitante. Inrer politicæ vitæ homines virtutis amicitiaque nomen inane & derisum, ad circumventionem vero magis res istorum sunt compositæ. Studia quoque differunt. In academiis theoria rerum animus imbuitur, in vita cum civibus praxi & usvi potior est locus: Scientia ibi plus, hic prudentia prævalet. Academicorum mores benigniorem experiuntur censuram, maligniorem rigidioremque politicæ vitæ addicti sustinent. Tu Candidatorum Clarissime exuis jam liberam academicam vitam & ingrederis politicam, quæ alios mores aliam vivendi rationem postulat. Non sine laude apud nos & in aliis academiis complures per annos versatus es, hausisti solidas artis salutaris ex nostro aliorumque fideli ore doctrinas, quas abunde nobis adprobasti & publico perdocto specimine proprio Marte, quod rarius, elaborato & defenso id declaras. Vitam gessisti laudabilem & dignam medicinæ sacris operantibus. Mox Te novo vitæ generi accinges & ea, quæ didicisti saluti mortalium litare & usui applicare adniteris. Opus est igitur, Tibi, ut omnia e voto fluant, ut fortuna sit diuturna, Divino auxilio, opus est prudentia omnium virtutum & actionum directrice, opus est conscientia, quæ quemvis quacunque occasione consolari potest. Ego  
I  
faci-

faciam, quod meum est, & Tibi omnia officiorum, quæ à me proficisci  
possunt, genera studia curas polliceor deferoque & quæcunque ad  
Tuum ornamentum laudem & salutem pertinent, Vale & res Tuas  
feliciter age!

---

**M**ein Freund/er weiß voraus was meine See-  
le wil/

Oh Ich mein dencken noch durch stumme Bo-  
then sende/ (Hände/  
Mich deucht er kennt genug die Freundschafts volle  
Die durch Vermahnung Ihn zum vorgesezten Ziel/  
Der Weißheit hingeführt; da ist mit grösser Ehr/  
Das kluge Saal-Althen von ihm die Proben hebet/  
Durch welche Hessen-Land berühmt und glücklich  
lebet/

So kan mein treuer Wunsch auch finden hier gehör:  
Es soll da seinen Fleiß die Doctor-würde schmückt/  
Des Glückes schwacher Fuß Ihm unbeweglich stehen/  
Des Höchsten Segen muß Ihm an der Seite gehen  
Wozu das Vater-Land viel tausend Senffzer schickt.

*Diese Zeilen/ welche den Grund naher Unverwandschaft  
enthalten/schrieb wohlmeinend seinem Vetter zuehren.*

Johann Georg Rausch/  
Hoffprediger in Cassel.

---

**O**h sollte zwar/**MEIN FREUND**/ aus lauter  
schuldigkeit  
Zu Deinen grossen Ruhm Dir etwas Verse rei-  
chen;  
Alleine wo die That/da müssen Worte weichen/  
Die auch ein kluger Geist/ aus seiner Feder streut:  
Denn wer kan wohl sein Lob nach wörden mehr ver-  
mehren/ Als

Als der sich öfters läßt auff der Catheder hören?  
Das hastu ehermahls in Leipzig schon gethan.

Die Sprache \* redt vor Dich / und heute wilstu  
zeigen/

Was ein gesundes Land; drum will ich gerne schwei-  
gen/

Weil ich aus Blödigkeit nichts weiter schreiben kan/

Als dieses: Daß Dein Ruhm sich möge mehr erhöhen/

Wenn Du als Doctör wirst zum Patienten gehen/

\* Innuo hoc loco disputationem philosophicam de loquela habitam Lipsiæ

1703.

Hiermit suchte sich den Hrn. Ddo bestens zu em-  
pfehlen dessen ergebenster Freund und Diener

SAMUEL SCHWIEDER,  
Siles. Med. Cand.

---

### HERMES

Quod est superius, est sicut id, quod isti inferius

**N**Er tadelt / daß man sonst / die inere Brut der  
Erden

Das irdische Gestirn / aus falschen recht  
genennt/

Der geh/ dafern er will erleucht und kluger werden/

Und sehe wie dieß selbst die Erde stumm erkennt:

Sind nicht aus Stein und Erz gleich förmig Men-  
schen worden? (Meer.

Was zeigt vor Wunder nicht das abgrunds-lose  
Und selbst der kluge Mensch nimmt von der Thiere  
brummen/

Die größte Enderung der Himmels-Boten her.

Kan man im Monden-Kraut des Monden End-  
rung spüren/

Und schafft beliebte Lust den Bäumen neues Haar/  
Was

Was Wunder wenn auch den / der Sternen Kräfte  
rühren/

Der selbst die kleine Welt nach Gottes Ausspruch  
war.

Wem dieß zu alber scheint / muß nicht Egyptianer kennen/  
Viel weniger sich selbst ; doch suchet wer geneigt/  
Und will ins künftige die Wahrheit recht benennen/  
Der lese was hievon der kluge Grav gezeigt.

Gegenwärtige Zeilen schrieb zur Bezeugung seiner  
Schuldigkeit des Hrn. Candidati aufrich-  
tiger Freund.

J. G. Brunschwicz  
Med. Cand.

---

*A Monsieur*

JEAN JUSTE GRAVIUS  
Doctorand en Médecine,

**S**Oûtenant avec tout l'applaudissement  
possible sa dispute inaugurale, dans  
la quelle il prouve solidement la  
bonté de l'air de la Hesse.

**T**U discours, Gravius, avec tant de justesse,  
De la bonté de l'air qui régne dans la Hesse  
Que chacun peut bien voir,  
Ton solide scavoir ;

Que me reste-t-il donc ? Sinon que Dieu je prie,  
De te conserver sain, pour ta saine Patrie,  
Afin qu'à la Nature ajoutant tes beaux arts,  
Tu fâces la Santé régner de toutes parts.

*Par son très-humble & très-  
obéissant serviteur*

BESEL



VIRTUTIBUS ET ERUDITIONE ORNATISSIMO  
VIRO - JUVENI,

DN. JOH. JUSTO GRAVIO,

Amico suo Æstimatissimo,

S. P. D.

D. JOH. ADAM. Hoffsteter.



*R*efert Plutarchus : a) medicum quempiam visitatum venis- a) In Lacon, se Pausaniam, eumque interrogasse : num nihil mali haberet ? cui is respondisse fertur : non te medico utor. Hoc ipsum, (pergit Plutarchus,) quod nihil habeat mali, adeo non acceptum ferebat medicis, ut eos solos judicaret prospera esse valetudine, qui medicis non uterentur. Id ut perpetuo verum non sit, tamen extra controversiam est, maximam malorum partem à medicis proficisci. Cujus quidem rei causæ à laudato autore allegantur diversæ; deficere tamen palmariam quilibet facile largietur, qui propter diversitatem principiorum, (per ambitionem sæpius in medium productorum,) maximas hactenus medicorum exortas esse lites mecum probe pensitaverit. Hæc inter alia potior dissensus infelicisque sæpissime ægrotorum curæ ratio atque malorum in medica arte productrix fertilis existit. Peperit diversitas ista principiorum ab incunabulis Artis sectas seu hereses complures, quarum una alteri succedebat, aliquando subinde recoctis ex parte prioribus, & diversimode (nec semper congrue satis) commixtis: maxima licet se pollere scientia & arte sectarii ejusmodi persuasi sint. De partibus hisce medicine universalibus seu speciebus (ita enim vulgò audiunt sectæ,) fundamento principiorum tum cognoscendi tum primario essendi differentibus paululum jam fari lubet, missis particularibus illis ab Almelo-veen b) & B. Cellario c) commemoratis, utpote ad rem nostram non facientibus. Est autem secta seu heresis juxta Laurembergium d) certa professionis formula & ratio, certis quibusdam hominibus, qui eam sequuntur, approbata & electa. Taliùm heresium sive sectarum medicarum apud priscos numerantur tres celebriores; harum prima est Empirica, quæ apud Ægyptios initium sumpsit; his enim primis post diluvium medicinam exercentibus solenne fuit ægros suos in viis regiis deponere, atque morbi essentiam & medicamen à prætereunti-

b) In invent, nov. antiqv.

p. 66. seqq.]

c) Antiquit. med. c. 4. p. 25. seqq.

d) Port. Æscu- lap. c. 8. p. 255.

bus sciscitari. Ab his ad Græcos & Romanos translata *magis firmata*  
e) I. introd. f. *est*. Istius præses Philinus Cōus, scribente *Galeno*, e) occasione  
medic. c. 3. accepta ab Herophilo, præceptore, cum hæresin suam præra-  
tionali principem esse vellent, Acronem Agrigentinum, qui longo tem-  
pore ante Hippocratem vixit, & simplicibus medicamentis curas ac  
experimenta instituit, quo rationali, quæ Philini tempore florere ince-  
pit, esset vetustior, ei dedisse initium dixit. Hanc sub Acrone isthoc,  
Empedoclis physici autoritate commendato, cœpisse in Sicilia vide

f) I. all. p. 24.  
§. I. sub fin.

g) I. all. §. 2.  
p. 26. a

h) libr. de  
sect. passim.

i) Procem. li-  
bri I.

apud *Cellarium*. f) A Philino Serapion Alexandrinus ea secta flo-  
ruit; dein Apollonii duo pater & filius Antiocheni; hos secuti Me-  
nodotus & Sextus eam exacte corroborarunt. *Laurembergius* g)  
sectæ hujus antesignanum ponit Theutam è *Galeno*. h) Aliter istius na-  
tales describit *Galeno senior Celsus* modo sequenti: i) *Serapion pri-  
mus omnium nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medici-  
nam professus in usu tantum & experimentis eam posuit. Quam  
Apollonius & Glaucias & aliquanto post Heraclides Tarentinus & ali-  
qui non mediocres viri secuti ex ipsa professione se empiricos appellave-  
runt. Innotescit e prolatis plus satis, empiricos secessum facientes à  
dogmaticis causarum abditarum rationibus neglectis omnia per solam  
experientiam exponere esse conatos: (quam tamen ipsorum experien-  
tiam facillima tantum nec plus quam vulgaria circumspicere Celsus  
k) commemorat.)* Serapionem imprimis, qui rationalem cognitio-  
nem nullo modo ad medicinam pertinere dixit: & quidem ideo, quod  
ratio aut idem quod experientia aut diversum svadeat; si idem, ipsam  
esse frustraneam, si diversum, periculosam. Sensualia proinde tan-  
tum & morborum curas, h. e. *αυτοψία* & *historiam* animadverten-  
tes, indicante *Galeno*, l) per *epilogismum*, i. e. rationem aliquam evi-  
dentem ab experientia desumptam, processerunt ad similia. Huic ipsi  
hæresi favere hodiernum adhuc videntur *Germania aliquot Academiae*.  
in quibus medici juramento obligantur, *ne in universum inexploratis*

k) I. cit.

l) I. de sect. c.  
§. it. de opt.  
sect. c. 7. & II.

m) instit. med.  
c. I. §. 2.

n) c. tr. c. 7.  
p. 60.

*saltim in humano corpore uti, nec ea cuique commonstrare velint.* Unde  
non inique B. *Waldschmid* m) *istam suo contagio totum terrarum or-  
bem contaminasse, paucosque hoc morbo non laborantes reperiri*, scri-  
ptum reliquit; malim tamen hic cum *Almeloveen* n) *veteres illos  
empiricos à nostrorum temporum hominibus nequissimis, circumfora-  
neis & agyrtis, aliisque nebulonibus, in artem salutarem illotis manibus  
involantibus, distingvi; illi siquidem viri in arte medica summe exer-  
citati morbis singulis plura medicamina dicata possidebant, solum  
abdi-*

abditas morborum causas renuebant : hi vero uno vel altero medicamento potiti pluribus, tantum non omnibus morbis imprudenter & malitiose aliquando satis, ut plurimum cum detrimento sanitatis superstitis, imo vitæ sæpius interitu, mederi audent, qui tamen & experientia & ratione penitus destituuntur, & vel levissima artis ignorant.

Quadrat in hos *Buchleri* illud : o)

*Ars quænam cunctis magis usurpata? (resp.) Medendi,  
Hanc homines siquidem BESTIOLÆQUE colunt.*

Nam ex mente *Andr. Gart.* p)

*Fingunt se medicos omnes, idiota, sacerdos.*

*Judeus, monachus, histrio, rasor, anus,  
Miles, mercator, cerdo, nutrix & arator. &c.*

Hi sunt, quos recensente *Anton.* q) *Stratonicus*, vel juxta *Max.* r) *Nico-*

*cles* expressit ; quando medico adulanti dixisse fertur : laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, sed statim eos à vita liberas. Empiricam excipit dogmatica sive rationalis apud *Cnidios*, quæ *Hippocratica* etiam, quod *Hippocrates* secundum *Galenum* s) initiator ejus crederetur, dici consuevit. Verum tantum abest, ut

*Hippocrates* initium huic sectæ dederit, ut potius ex ipso *Coo* t) deducente id *Neandro*, u) eam *Hippocrate* longe priorem fuisse, constet ; &

præterea *Celsus* w) referat : multos è sapientiæ professoribus peritos medicine fuisse : Clarissimos *Pythagoram*, *Empedoclem* & *Democritum*, qui omnes, recensente *Vossio*, x) *Hippocrate* priores extiterunt. Restaurasse nihilominus *Hippocratem* circa & post bellum *Peloponnesiacum* artem medicam, (quam teste *Celso* y) primus omnium memoria dignorum à studio sapientiæ separavit, & postea certis dogmatibus conscriptis tradidit,) è *Plinio* z) notum est. Post hunc *Dio Caristius*, *Praxagoras*

*Cous*, *Herophilus Chalcedonius*, alique innumeri, *Galenus* præcipue, (Galenicam propterea posterioribus temporibus dictam,) sectæ isti splendorem insignem conciliarunt. Dogmatici hi præter experientiam rationem simul adhibentes tum in morborum expositione tum remedium applicatione per analogismum procedunt, quem *Galenus* I) I) l. de opt. comparationem & perceptionem causarum juvantium per similitudines definit ; rati, nec experientiam sine ratione nec rationem sine experientia subsistere posse. Canones, quibus dogmata sua superstruxerunt, uti e libris *Hippocratis* patet, philosophiam *Peripateticam* sapiunt. Istius Se-

o) In ænigmat.

p) Proverb. dict.

q) Part. 1. ferm. 56.  
r) ferm. 50.

s) introd. l. 3.

t) l. de vet. med. c. 3.

u) in medic. natal. vv) c. 1.

x) de philos. c. II. §. 9.

y) c. 1.

z) H. N. l. 29. c. II.

I) l. de opt. sect. c. II.

Etæ asseclas per antiphrasin & contemptus causâ Menodotus Tribonicos  
 vocabat, quasi minime tales, & qui nomen istud non mereantur,  
 cum experientiæ (soli) non credant, rebus occultis ac ignotis studeant,  
 & historiam, quam ne quidem legerint, contemnant. Tribonem vero,  
 referente Galeno, 2) appellabant veteres, qui in aliqua arte usu longo se  
 exercuit, ut in ea jam perfectus videri possit. Habet hæresis hæc isto no-  
 stro tempore quosdam adhuc defensores, paucissimos licet, Galeni  
 dogmatibus maximo opere inhærentes. Ad methodicam sectam nos jam  
 convertimus, quæ rationalium dogmatibus relictis omnem theorema-  
 tum physicorum causarumque externarum concursum negligens in  
 universaliora longe medicinam contraxit principia, ad quæ omnem morbi  
 speciem retulit: laxum nimirum, strictum, & ex his mistum, i. e. fluxio-  
 nes, obstructions, & horum misturam; docente id Galeno, 3) &  
 evidentius paulo rem explanante Laurembergio, 4) ad quos lectorem  
 benevolum ablegatum volo. Notari hic debet; Heurnium, 5) Ro-  
 der. à Castro, 6) & Mœbium, 7) duo saltim summa genera, laxum &  
 strictum, huic sectæ affingere: nec abs re, cum tertium non novum &  
 à prioribus separatum, sed ex his mixtum sit, nihilque nisi compositio  
 intercedat. Utrum vero secta isthæc cessaverit, cum B. Petermanno  
 8) dubitari posset; verba ejus sic habent: quæ licet nostris temporibus  
 penitus exspirasse autumetur; attamen superioribus annis repullu-  
 lasse omnino est putanda. Quid enim Sylvii triumviratus, quid Tache-  
 nii acidum & alcali aliud operata sunt, quam summa & rerum natu-  
 ralium & præternaturalium genera? hoc in negotio, ut candide animi  
 sensa eloquar, nolo hæc omni ex parte improbare: interim nemo rerum  
 medicarum gnarus inficias ibit, talia summa genera, uti facili negotio  
 addiscuntur, ita quoque in praxi non sufficere. Secundum hæc me-  
 thodicorum principia Thessalus Trallianus notante Mœbio 9) artem  
 medicam dimidii anni spatio addisci posse mentitus est; verum  
 epicrisin doctissimam in hanc curtam docendi & discendi methodum  
 vide apud eundem Petermannum. 10) Hanc hæresin Prosp. Alpinum,  
 Botanicum Patavinum celebrem, superiori seculo, scripto in istam rem  
 magno volumine, ad mentem Veterum recoxisse apud Laurember-  
 gium 11) extat. Præter hæreses expositas duarum adhuc aliarum  
 Galenus 12) meminit; episyntetica nimirum & eclecticica: quarum illa  
 è prædictis novam sibi componebat; hæc autem è singulis eligebat. Dice-  
 bantur hæc propter prioris asseclæ Adjuncti: erat ex istorum numero

2) l. de subfi-  
 gur. empir.  
 c. 9.

3) l. de medi-  
 co c. 3. & 4. it.  
 de sect. c. 4.  
 4) all. l. §. 4.  
 p. 26. b.

5) Instit. med.  
 c. I.  
 6) Medic. Pol.  
 c. 5.

7) fund. med.  
 physiol. c. I.  
 8) Disput.  
 med. II. de  
 divis. med. §.  
 26. p. 33.

9) l. all. §. 22.  
 P. 12.

10) c. I.

11) l. all. §. 5.  
 n. 3.

12) li introd. f.  
 med. c. 4.

Leonides Alexandrinus; posterioris verò *Delecti*: cujus generis erat Achigenes Apameus Syrius. Sed non admodum discrepantes hæ facile in unam cogi possunt. Tantum de *Veterum medicorum sectis*. Exortæ autem paucis abhinc seculis & annis sunt *plures alie novæ*. Prima fuit *Chymica* seu *Hermetica*, ab Hermete Trismegisto denominata; *Spagyrica* item vocata, quod omnia separat ac congregat. Scripserunt de hac fuse Sennertus, 13) (Conringius, 14) & Neander. 15) *Hæc experientia* 13) l. de conf. rationem quidem, novis tamen plane introductis principiis essendi, con- Chimic. &c. junxit. Communiter audit *Paracelsistica* à restauratore Theoph. Pa- c. 3. 4. & ex racelso, qui quinque illa re-assumendo principia, tria nimirum activa, 14) de Her- salem, Sulphur & Mercurium, ac duo passiva, phlegma & terram da- met. Med. mnatam, à vestigiis Hippocratis & Galeni penitus recessit; quiu magiam p. 15. etiam aliquantisper sectatus est. Taxandus in eo, quod plura voca- 15) de Hermet. & Paracel. Med. bula barbara tropicasque locutiones in scholas medentium dissemina- 16) in epist. ad Parac. vit, quorum sensum hariolari semper interpretes nequeunt: vocavit propterea *Erasmus Rot.* 16) responsa ejus ænigmata. Nihilominus cum medici *rationales* animadverterent, *Paracelsistas* seu *chymicos* in fabricandis medicamentis & nobilioribus & virtuosioribus diligen- tiores longe & laboriosiores esse: consensum c. his recentiores qui- dam dogmatici inire, novamque conflare conati sunt hæresin *Dogmatico-Hermeticam* seu *chymiatricam*; sequentes nimirum quoad theo- riam physiologicam & pathologicam Hippocratem & Galenum, quoad praxin & methodum medendi chymicos. Erant huic sectæ superioribus seculis addicti *Joseph. Quercetanus*, 17) *Hartmannus*, 18) *Petræus*, 17) in phar- 19) *Sennertus*, 20) *Francisc. Joel*, 21) & reliquis omnibus palmam macop. præripiens *Ant. Günth. Rillichius*, 22) qui principia chymica ipsi etiam spagir. & dogm. applicavit theoriæ medicæ. Ast si rem intimius ponderamus, *sectam* 18) in prax. hanc vel non distinctam à rationali vel plane nullam deprehendimus: chymiatr. ratione siquidem principiorum cognoscendi concordant; de cetero 19) in nosol. vero non sufficit dogmaticos uti medicamentis chymicis: hæc enim log. har- de causa nova secta fingenda haud est; cum non medicamentorum mon. sed principiorum tum essendi tum cognoscendi disparitas sectas mul- 20) in libr. tiplicet: accedit, *has quoad principia essendi esse irreconciliabiles*, præcipue pract. it. quicquid etiam *Sennertus* 23) hoc in passu molitus sit. Sectæ chymi- conf. & dis- corum ob similitudinem aliquam principiorum affines quoque sunt sens. chym. &c. (I.) *Tascheniana*, à Tachenio, chymico celebri, denominata, *acidum*

- 21) in oper. in *solum & alcali atque ex his enixum falsum pro principiis venditans,* specie in quam hæc hactenus cohortes medicorum secutæ sunt, utut principiorum method. horum insufficientiam jam dudum demonstraverit *famigeratissimo- rum medicorum Rigæ, Hoffmannus 24) & Bobnius. 25)* (II) *Helmontiana*, quæ circa medium sæculi præteriti v. Idopere se reddidit conspici- & l. de fer- cuam. *Produxit* autem Joh. Bapt. van Helmont *immutatis & cor- ment. Pla- rectis in tantum chymicorum principiis 26) diversissimam à theorcmati- ton, bus veterum dogmaticorum theoriam*, suisque invektivis scholæ Gale- 23) consens. nicæ, dogmatum hujus falsitatem ad oculum demonstrando, multum & dissens. nocuit; vanam imprimis illam *Logicam Scholasticam 27)* (minime chym. &c. ratiocinationem prudentem, ipse quippe formales aliquot syllogi- 24) de acid. smos textibus suis inseruit,) è peripheria studii medici ad imitationem suff. Hippocratis atque Celsi penitus ejectam voluit; *experientiam tamen & rationem* (illi, hac sæpius vacillante, palmam dando,) *pro fulcris & principiis medicine cognoscendi retinuit.* Hic, si Anatomix, circula- 25) de acidi & tionis præsertim sanguinis nervorumque commercii, adeo, sicuti alcali in chymix, gnarus fuisset, medicus profecto sine pari extitisset, sibi que suff. etiam ab usu terminorum tropicorum (ob quos tamen acriter in Pa- 26) tria prin- racellum invehitur,) quales sunt furor archei, jus duum viratus, mor- cip. chym. bus potestativus, &c. sine dubio temperasset. *Principia & funda- 27) tr. Log. menta Helmontii materialia* quod concernit; statuit is 28) unicum inutil, it elementum, *aquam*, in qua tamen nunquam fieret trium primorum & Gal. separatio. Tribuit autem elementum istud corporibus tantummo- 28) tr. Elë- do mixtis, ceu elementatis; nam *aer* quoque ipsi 29) habetur elemen- 29) c. tr. n. 12. tum primitivum. Ulterius 30) *novas etiam qualitates primas* exco- 30) tr. magn. gitavit, formisque quoad nomen retentis *ideas certas seminales* sub- oport. n. 52. stituit; in Pathologia *qualitatem salinam acidam* extra stomachum 31) licet vasorum lymphaticorum ignarus, (de quibus tamen 32) vati- cinatus esse videtur,) totam invertit; &c. Fautorum sectæ istius Chy- mico-Helmontianæ magnus adhuc hodiernum per orbem est nume- rus. Restat hæresium novissima, cui nomen impositum est *sectæ Do- gmatico-Mechanicæ*; *dogmaticæ* quidem, quod *experientiam & exinde deductam rationem principium cognoscendi*; *mechanicæ* vero quod *motum & materiam principium essendi* ponat. Dicitur & alio nomine *Cartesiana*, quoniam primordia sua è philosophia Cartesianâ set

seu corpusculari foeneratur. Hæc ipsa secta, quum *negatis formis*  
*substantialibus singulas corporum inter se differentium formas harum*  
*item operationes & effectus, à figurarum diversitate per motum dedu-*  
 cit, solidiorem scientiarum mathematicarum cognitionem postulat,  
 quæ, quamvis pars medicinæ non sint, sine istis tamen infelices in hac  
 progressus futuros esse *Vossius* sapienter 34) auguratur. Animadvertit 34) c. l.  
 hoc olim jam *Galenus*, 35) in medico Geometriam requirens; quin 35) in *Hagog.*  
 ipse *Hippocrates* 36) figuras in explicandis phænomenis naturalibus 36) de vet.  
 observandas urget. Minime vero ad Astrologiam usque hanc no- med. t. 39.  
 stram cognitionem Matheseos extendere, & ex Ephemeridibus medi-  
 camenta propinare jubemur, *presigendo* scilicet cum calendariogra-  
 phis *certos temporis articulos purgandi, vomendi, scarificandi &c.* ne  
 ridiculæ illius *hæreseos mathematicæ*, cujus autorem *Crinam Massi-*  
*liensem Lauremborgius* 37) constituit, nos participes reddamus: quam 37) c. l. §. 7.  
 nihilominus multi hodie nugipolyloquides sequuntur, putantes, se P. 26. in fin.  
 perfectius ex universali rerum causa & imaginariis stellarum positio- cap.  
 nibus atque virtutibus intentionalibus tempus assumendi medicamen-  
 ti nosse, quam medicum, ægrum ante se positum manibus suis palpan-  
 tem, oculis usurpantem, & auribus percipientem. Sed revertamur  
 ad hæresin nostram: de hac ultimo notandum, eam in fieri adhuc  
 esse, & quotidie incrementum haud leve indipisci; imprimis autem hanc  
 insigniter hactenus illustrasse Collegium curiosum Anglicanum, ejus-  
 que quondam socium solertissimum, *Rob. Boyle* 38) in scriptis variis, 38) impr. tr.  
 aliosque viros Celeberrimos plures, *Du Hamel*, v. gr. 39) *Grew*, 40) de qual. &  
*Lamy*, 41) &c. quibus merito adjicias *Excellentiss. nostrum Hoffmann-* form. de orig.  
*num.* 42). Dissentiunt tamen in quibusdam sectæ hujus patroni; præ- qual. mech.  
 primis (quam eorundem controversiam palmariam judico,) circa De cosm. rer.  
*productionem motus*: dum alii hunc è *potentia materie ut vim quan-* fluid. & fir-  
*dam insitam exsurgere*, alii ut *actum quendam immaterialem extra-* mit.  
*neum adventitare, & materiam pure passivam excitare* ajunt. Quæ- 39) de affect.  
 ritur jam, *cuinam hæresum traditarum magis favendum, quæve* corp. & alibi.  
*sectand. sit?* Nos præ omnibus æstimandam putamus, quæ experien- 40) de mixt.  
 tiam & inde deductam rationem non fusque deque habet, omnemque 41) de prin-  
 autoritatis favorem negligit, insuper ex principiis essendi evidentibus cip. rer.  
 sensuales demonstrationes format, intricatiorum phænomenorum 42) in variis  
 morbos concomitantium causas, (quantum possibile,) evidentissime tract. & dis-  
 fert.

explicat, medicamentorum vires clare & distincte describit, & si non omnia, pleraque tamen in œconomia animali contingentia per experimenta recto rationis usu formata explanat, certiolemque salutem ægris pollicetur. Isthanc ob causam *majori & potiori ex parte Dogmatico-mechanicam, aliqua etiam ex parte chymicam, sequendas esse* censemus, non tamen, nisi *cum dissentiendi libertate*, sicubi prudentiorum aliorum investigatio rem verius demonstraverit. De cetero *harmonia medica, in praxi presertim, pro virili studendum esse arbitramur*, quam quidem dudum jam, irrito licet successu, intenderunt veterum & neotericorum medicorum cordatiores quidam, *Ammanus* 43) quoque tanquam summe necessariam sub nomine syncretismi medici commendavit. Exurgeret *hinc secta vel episyntetica vel eclectica*. Sed TE jam, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, compellare, & ex TE quærere oportet; cuiam TU hæresi TE mancipaveris? *Amicus*, inquis, *Plato, amicus Aristoteles, magis amica veritas*. *Veritatis autem Secta* additum TE confirmant *specimina duo insignia: alterum Lipsiense, de LOQVELA conscriptum; presens INAUGURALE alterum Historico-Physico-Medicum selectissimum de SALUBRITATE HASSIÆ concinnatum; singula in posteriore isthoc egregio TUO labore sensibus patent, quibus contradicere nefas est; singula per rationes evidentes adeo apte deducta sunt, ut altum sapere videaris. Habitant in alto Hessi, (Hessen quasi dicas Hölhe Cassen juxta Cluverium, 44) Tacito 45) id olim indicante, dum inquit Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac PALUSTRIBUS locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patefcit DURANT SIQUIDEM COLLES, paulatimque rarefcunt; & Catti suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit: TU, VIR JUVENIS POLITISSIME, palustria ruditatis & vitiorum tesque abominatus in altiore virtutis ac eruditionis Parnasso jam versari. Exaltabit porro ILLUSTRIS FACULTAS MEDICA FRIDERICIANÆ nostræ nomen TUUM, idque propediem altissimo DOCTOR MEDICI titulo solenniter proclamabit. Faxit altissimus, ut pronus etiam altissima fortunæ secundæ fastigia conscendas, altum nomen TUUM in posteris vireat, vigeat, floreat, demumque suo tempore altitudine poli æterna inter cœlicolas beatissime fruaris.*

43) in præf. med. crit.

44) antiqu. Germ. 1. 2. c. 19. & 1. 3. 45) de Germ. c. 30. in princ.

Dab. Hal. Magd. die 26. Mart. 1706.